


De
Apocalypsi Joannea
ex
rebus vatis aetate gestis
explicanda

disseruit

Eduardus Boehmer.

Fasciculus I.

quo praesertim capita VI. VII. VIII. exponuntur.

Halis Saxonum
J. F. Lippert.
1854.

De
Apocalypsi Joannea

ex

rebus vatis aetate gestis

explicanda


disseruit

Eduardus Boehmer.

Fasciculus I.

quo praesertim capita VI. VII. VIII. exponuntur.

Halis Saxonum
J. F. Lippert.
1854.



Fuit tempus cum ne suspicari quidem videbantur theologi, esse prophetiam praeter futurarum rerum praedictionem. Quare maxime Calovium invenimus contra Grotianam apocalypsis explicationem ita disputavisse ut Joannem, propterea quod prophetias scriberet, de rebus ante actis loqui negaret. Prava vero illa de prophetismo sententia in Joannis libro si quis alius prophetico multa turbavit. Profecto vatum nomine in scriptis sacris, adeo manifesto ut suppudeat commonstrare, homines dei non ornantur quia futura praedicunt sed quod profantur divina. De qua notione non desunt veterum christianorum testimonia quorum quibusdam allatis comprobem, ad praeteritum quoque tempus prophetiam respicere. Ita enim incipit primus liber oraculorum Sibyllinorum: *Ἀρχομένη πρώτης γενεῆς μερόπων ἀνθρώπων Ἄχρις ἐπ' ἐσχατίῃσι προφητεύσω τὰ ἕκαστα Ὁππόσα πρὶν γέγονεν, πόσα δ' ἐστὶν, ὁπόσσα δὲ μέλλει Ἔσσεσθαι κόσμῳ διὰ δυσσεβίας ἀνθρώπων.* Et versus finem libri tertii Sibylla dicit fore ut, cum omnia evenerint, non amplius eam *μαινομένην* appellent, *Θεοῦ μεγάλην δὲ προφῆτιν.* Pergit autem: *Ὅς γὰρ ἐμοὶ δήλωσεν ἃ πρὶν γενετῆρσιν ἐμοῖσιν Ὅσσα τε πρῶτ' ἐγένοντο τά μοι θεὸς ἐγκατέλεξε· Τῶν μετέπειτα δὲ πάντα Θεὸς νοῷ ἐγκατέθηκεν Ὥστε προφητεύειν με τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.* Clement. hom. II, 6: *προφήτης δὲ ἀληθείας ἐστὶν ὁ πάντοτε πάντα εἰδώς, τὰ μὲν γεγονότα ὡς ἐγένετο, τὰ δὲ γινόμενα ὡς γίνεται, τὰ δὲ ἐσόμενα ὡς ἔσται.* §. 10. *εἰ προφήτης ἐστὶν, καὶ δύναται εἰδέναι ὡς ἐγένετο ὁ κόσμος*) καί τὰ ἐν αὐτῷ γινόμενα καὶ τὰ εἰς τέλος*

---

*) Comment. in psalmos a Jacobo Perez de Valentia Ghristopolitano episcopo ordinis Augustini. Lugduni 1514. fol. V, 3; *primo diffinitur ab Augustino quod prophetia est divina revelatio eorum quae procul sunt ab humano intuitu. Et sic prophetia largo modo sumitur eo quod ambit tam praeterita quam futura et omnia quae sunt supra humanam intelligentiam.* Et V, 4: *Et isto modo non solum Esayas quia praedixit futura, diceretur propheta sed etiam Moyses qui annunciavit praeteritam creationem mundi et etiam unitatem unius dei et multa quae sunt supra humanam facultatem.*

ἐσόμενα. cf. recogn. I, 21. 33. hom. III, 11 — 15. Porro Hippolytus in confessione fidei sub fine labyrinthi exposita (IX, 33. Miller p. 337) de prophetis ait: *τὰ παρῳχημένα λέγοντες ὑπεμίμνησκον τὴν ἀνθρωπότητα· τὰ δὲ ἐνεστῶτα δεικνύντες μὴ ῥαθυμεῖν ἔπειθον· τὰ δὲ μέλλοντα προλέγοντες κτλ.* Atque extant Chrysostomi verba (synops. s. scr. prooem. VI. p. 372): *οὐ μόνον δὲ τὰ μέλλοντα προφητείας ἐστὶν εἰπεῖν ἀλλὰ καὶ τὰ παρελθόντα, ἔστι δὲ καὶ τὰ παρόντα προφητείας εἰπεῖν ὅταν τε γένηται μὲν κρύπτηται δέ.* Denique auctore Augustino (de civ. dei XI, 4) Gregorius M. censuit (in Ezech. l. I. hom. 1. op. ed. Bened. IV. p. 126.) bene vocari prophetiam non solum quae praedicat ventura sed etiam quae prodat occulta vel de illo tempore quo homo nondum fuerit*). Jure igitur dicimus prophetas exemtos curis animorum ad terram pronorum aspicere terga dei (Exod. XXXIII. in fine) quae sunt ut Maimonides explicat (משנה תורה I, 38. et Doct. perplex. I, 21) eius viae quibus in gubernando mundo ingreditur, atque ita perspicere futura praesentia praeterita. Sicut igitur Diodorus Siculus (I, 2) historiam vocavit *τὴν προφῆτιν τῆς ἀληθείας* quare *rerum scriptor vates retro versus* — et profecto non est rerum gestarum philosophia sine prophetia — ita iure nostro vatem dicimus historicum probatissimum. Et quis est quin concedat vates populi Hebraei omnium primos fuisse qui res gestas a divinis rationibus repeterent atque eas tanquam tabulas pictas collocarent in bono lumine quae est sapientia dei qua mundum universum regit et eo quo vult perducit. Quare sanctissimos illos viros primos dixeris et maximos fuisse historiae philosophos qui ex omnibus in re publica quoque viderent plurimum. Ita et ipse Joannes cum caeli ei aperti essent vidit quae deberent fieri:**) necessitatem

*) Apud Judaeum Philonem (cuius utor textu Tauchnitiano, cito vero paginas Mangeyanas ibi quoque appositas) II, 176 *προφήτης* vocatur *ἀληθομάντις καὶ θεοφράδμων*, tum *προορατικὸς τῶν ἀδήλων.*

**) IV, 1. Solus Lachmannus vidit post verba *δείξω σοι ἃ δεῖ γενέσθαι* interpungendum esse ut *μετὰ ταῦτα* ad ea attineat quae sequuntur: *εὐθέως ἐγενόμην ἐν πνεύματι.* Notum est saepissime formulas *μετὰ ταῦτα* et *μετὰ τοῦτο* in evangelio Joannis exordium esse sententiarum (prius III, 22. V, 1. 14. VI, 1. VII, 1. XIX, 38. XXI, 1. cf. IV, 43; posterius II, 12. XI, 7). Ita in apocalypsi *μετὰ τοῦτο* VII, 1. *μετὰ ταῦτα* praeter IV, 1. etiam VII, 9. XV, 5. XVIII, 1. XIX, 1. quibus addere licet XX, 3. Contra ea in fine ev. XIII, 7. apoc. IX, 12. Et I, 19 ubi scribere iubetur praeterita praesentia futura; quare

igitur divinam in iis quae fuerant quae erant et quae futura erant revelavit ei, quantum visum est, is qui ipse fuerat et erat et futurus erat (I, 8). Neque aliud quid docemur libri initio. Quo enim alio modo ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει (v. 1) possunt explicari nisi ita ut rerum futurarum radices in praeteritis praesentibusque demonstrentur unde illa non possint non enasci?

De scripto vero hoc Joannis dici quodammodo potest quod is qui comoediam illam composuit quam posteri iure merito vocaverunt divinam, de hoc sui ipsius opere praedicavit. Namque *ad evidentiam itaque* inquit *dicendorum sciendum est quod istius operis non est simplex sensus, imo dici potest polysemon**) *hoc est plurium sensuum.* Est enim allegoricum scriptum haec apocalypsis (allegoriam autem ὁρατικοῖς φίλην ἀνδράσι vocat Philo p. 335), unde praeter sententiam quam littera proxime praebet, aliam quandam habet superiorem.**) — Principalis igitur apocalypsis quoque explicatio est grammatica quam sequitur generalium veritatum per imagines expressarum accurata intellectio; qua in re maxime iuvat respicere ad scripturam sacram foederis veteris. In imaginibus vero explicandis latissime vigere arbitrium quod in interpretandis vocabulis locum omnino non habeat, perperam censent plurimi (cf. Arnob. V. Ap. Wetst. N. T. p. 228. 229). Unumquodque enim vocabulum et aliud quidem magis alio significat genus aliquod cuius ea species quam vult qui loquitur, reperienda relinquitur audienti. Inter quot significatus e. g. vocabuli ὑπόστασις eum debemus eligere quem scriptor ad Hebraeos voluerit! Item si simplex symboli vocabulum enunciatur quis est quin, cum tam late illud pateat, nesciat quaenam specialis sententia indicetur? Utrum confessio sanctae fidei an omen e sternutamento derivatum (cf. Hesych. Suid. s. v. ξυμβ. et συμβ.) an aliud quid ex significationibus quam plu-

hoc loco IV, 1. quoque non est veri simile de futuris tantum agi. Praeterea sine verbis illis sequens sententia nimis abrupte inciperet.

*) Ita probam scripturam illius loci epist. ad Kanem Grandem c. 7. restituisse nobis videmur. Neque enim sufficit *polysemos* quod pro vulgato isto *polysensuum* admodum barbaro melius secundum cod. Med. nuper reposuit Torrius in edit. Non *sensus* apte diceretur *polysemos h. e. plurium nusuum* sed *opus dici potest* πολύσημον. Itaque genus neutrum recte tuebatur scriptura vulgaris quae ceteroqui reiicienda est.

**) Vocabuli ἀλληγορίας rectam explicationem v. ap. Wetst. N. T. p. 229. cf. Rinck Rel. der Hellenen I. p. XI. et 6.

rimis. Porro — ut vocabulum quoddam afferam de quo postea nobis disserendum erit — quam inest multiplex sententia verbis: *ἔχω τὴν περιοχήν.* Quae si quis dicat interrogandus est: quid tandem tibi vis? Habesne aliquod putamen vel folliculum? an arcem quandam tenes? an sententiam libri obscuram iam intellegis? an invenisti scripturae caput quod quaerebas? an continens argumenti? an copiam possides nescio quam? et si quae sunt alia. Nam *περιοχὴ* omne est quocunque aliquid continetur: *περικάρπιον περίβολος περίοδος περικοπή* (scripturae sacrae: Act. VIII, 32. Pesh. ܦܣܘܩܐ. פיסוק טעמים), porro *continens* qua sententia summam argumenti significat, cet. Eodem modo verbum *ἔχειν* latissime patere nemo nescit. Taceam praepositiones. Sane vero, dicas. At eam ipsam ob ambiguitatem nemo adeo parce loquitur. Concedo. Sed addo, neque eum, qui allegorias componit, talia singula proferre. Ergo et hic et illic e nexu latiore diiudicandum erit. Profecto saepissime, ne dicam semper, ex solo verborum nexu perspicuum fit quid unum quodque vocabulum certo quodam loco sibi velit; itidem in imaginum lingua quam allegoricam vocamus: ea tamen differentia interposita ut cum illic vocabulum afferatur generale quo species non definitur, hic ponatur res quaedam constans, quae est natura rei, multis proprietatibus. E. c. soli aliquid comparas. At naturae eius calefacienti an lucenti an utrique, an ardenti an oculos praestringenti; an aliud quid proprium eius indicas? Porro in scripto allegorico auctor utatur vocabuli maris. Voluitne eius profunditatem an amaritudinem an vastitatem an aestum? Non minus hic circumspectione et diligentia opus est interpreti atque in reperiendo verbi causa apto significatu vocabuli illius *ὑπόστασις* Hebr. XI; nec tamen licentius philologo pervagari potest: ubique decernendum e nexu et universa auctoris sententia. Et sicut e. g. in eadem epistula ad Hebraeos data *διαθήκη* non semper foedus significat, verum etiam testamentum, quid ei opprobrio esse potest qui in allegoriis componendis eandem imaginem diversis locis in diversas sententias adhibeat? Si quis vero constanti quadam lingua allegorica utitur, optimum scriptorem perspicuitate aequiparare dicendus est. Uterque rursus sub clavi est donec omnino lingua eius ignoratur. Sicut autem scribuntur vocabulorum lexica in quibus variae

illorum potestates enumerantur et derivantur, ita construi potest thesaurus allegoriarum. *Σοφὴ ἀρχιτέκων* allegoria secundum Philonem (660). Qualis thesaurus omnibus quas scientia nostrae aetatis praebet opibus in artem redactus cum adhuc desideretur — Laureti enim Silva Allegoriarum rudis est indigestaque moles — saepe in allegoriis explicandis ita comparatum est quomodo in eliciendis cuneatarum inscriptionum sententiis ubi indagatores et lexico carent et grammatica et vel interdum ipse litterarum significatus latet. — Iam vero praeter enodandam rationem vaticinii allegoricam explicatio ea extat quam dicunt historicam. Investigandum enim est ad quasnam res aetate sua gestas vates veterum prophetarum et Jesu Christi praedictiones magnam partem imaginibus involutas rettulerit ut quae secundum dei consilium revelatum futura erant, ea eventum habuisse indicaret. Atque hoc quidem est in quo praecipue versatur nostra disputatio et quod quam brevissime fieri potuit exposui, non ut omnia dicerem sectatus, quod infinitum erat, sed ut maxime necessaria. Etiamsi vero ad cetera quoque summa industria usque adhibenda sit, tamen hunc potissimum campum vervagendum censuimus cum in eo liceret proxime scriptori accederemus unde facilius omnino quid sibi voluerit intellegi posse videatur. In omnibus autem quae proponit quantumvis ad res quasdam singulas applicanda sint, genera tamen universa doctrinarum quoquo tempore repetendarum ita dilucide cernuntur quomodo ut cum sapiente loquar mala aurea in argento reticulato*); imo ipsae argentei operis imagines perviae sunt splendori auri. Ex illa vero varia prophetiarum sententia efficitur ut dicere possimus cum Hengstenbergo (Ev. K. Z. 1833. p. 241): Nichts erscheint uns mehr als rein vergangen, nichts als rein zukünftig,

*) Prov. XXV. 11: תפוחי זהב במשכיות כסף דבר דבר על אפניו. Mala auri cum figuris argenti: verbum dictum in modis suis h. e. secundum variam suam sententiam. Quod dum incassum studerent explicare commentatores, egregie enodavit Maimonides in introd. Doct. perpl. Significatum verborum על אפניו cognovit etiam E. Meierus in Wurzelwörterbuch p. 278. Quamvis אָפְנָיו ad numerum pluralem referri possit, Gesen. Lehrgeb. p. 576., tamen, maxime si Maimonidis explicationis memineris, punctatores eo consilio non אֳפָנָיו formam legitimam vocabuli אֹפֶן ut קֳדָשָׁיו a קֹדֶשׁ, sed אָפְנָיו potius scripsisse censebis ut maiore correptione dualem numerum quantum fieri potuit indicarent. אָפְנָיו ab אָפְנַיִם sicut אָזְנָיו ab אָזְנַיִם.

alles als vergangen gegenwärtig und zukünftig zugleich, wie es in dem Worte desjenigen, der da ist und der da war und der da sein wird, nicht anders seiu kann. Qua vero via ac ratione quaecunque Joannes in exponendis rebus amplis aetate eius a deo gestis docuit, in tempus consequens transferenda sint et accommodanda, iam ad alios iudices remittimus cum antiquius habeamus solidum substruere fundamentum. *Constat enim* ut occasione data in usum alium Alcasar dixit (p. 668) *eas non explicationes esse sed applicationes.* Quae tamen optimo iure fiunt. Nam Joannes maxime is erat qui cum ecclesiaste consentiret (I, 9. 10): *Id quod erat est hoc quod erit et id quod fiebat est hoc quod fiet neque est quicquam novi sub sole. Si quis est qui dicat: ecce illud! novum hoc! — dudum fuerat in saeculis quae fuerunt ante nos.* Omnia prius latent, post patent. Nec singula tantum, verum etiam universus mundus.

Quae cum ita sint, in interpretando libro hoc apocalyptico maxime colendam esse censuimus viam ac rationem eam quam post multa saecula obrutae huius libri intellegentiae ingressa est Ludovici ab Alcasar, Hispani illius quidem, simplex quaedam et naturalis sagacitas nec scholasticorum temporum vanis explicationibus vel potius implicationibus praepedita; quam est prosecutum insolens Grotii ingenium et scientia quibus exegesis grammatice historicae magnus assertor extitit; quam Wetsteni varia doctrina quodammodo confirmavit; quibus post Harenbergum aliosque accessit prae ceteris elegantissimus pulcri sensus Herderianus in multarum gentium poesi perquam exercitatus. Satis est nominasse principes. Rationem igitur illam non posse esse frigidam totam insipidamque confidentes, certamen cum adversariorum interpretum turba temptandum non duximus nimis temerarium. Itaque minime nobis, ut assolet, inaudita quadam ac prorsus nova ratione hunc codicem obscurissimum primi videmur ac penitus reclusisse; verum enim vero quae dudum a viris doctissimis enotata erant licet per se non egerent patrocinio nostro, tamen cum iniuste reiecta iacerent deprompsimus ut quoad eius fieri posset defensitaremus. Jesuita vero ille qui primus explicationem ad rectam normam revocavit, accuratius ubi iuvabat, cum praesertim liber eius tantae molis sit ut expeditum conspectum non praebeat, audiendus esse visus est. Et ex hoc et ex ceteris illis quos modo memoravimus, attuli-

mus praecipue quae ad historicam quam dicunt interpretationem facerent neque omisimus improbanda multa uti summa quaedam sententiarum haberetur. Elegimus ex aliis commentariis ea quae ex eodem saltem principio interpretationis historicae profluxerunt. Addidimus et ipsi quod nobis videbatur nec tamen nescii minimam tantum partem adhuc explicatam esse libri huius et gravissimi quippe ab eo discipulo scripti qui in Jesu Christi sinu decubabat et prae splendore obscurissimi. Quemadmodum enim, si quis ex caligine ingreditur in templum mille candelarum fulgore illustratum, ipsa vis ingens et copia lucis praestringit aciem oculorum, ita coram eo, qui quasi valvis huius libri reseratis intrat limen eius, omnia undique luminibus collucent et singula verba coruscant vario splendore radios veterum vaticiniorum revibrante. Quare quaestiones potius proponimus quam responsa. Difficillimum profecto est, nihil sententiae simplici allaborare.

Jam vero ad rerum cardinem accedamus. Qua de re in hoc libro agatur ipse nos docet eius titulus. Non est proprie Joannis sed Jesu Christi revelatio; est patefactio quam dedit deus opertae Christi potentiae et quam imaginibus significavit Joanni (ἐσήμανεν). Heinrichs acute perspexit ἀποκάλυψιν h. l. esse *adventum redituri Messiae:* confert autem 1 Co. I, 7. 2 Thess. I, 7. 1 Petri I, 7. 13; addas 1 Petri IV, 13. Lu. XVII, 30. Harenbergus in praefatione §. II: *die Offenbarung des Zorns und der Ausführung des gerechten Gerichts Gottes über die Jüden wird schon vom Apostel Paul Apocalypsis genennet. Röm. II,* 5. Reuss Gesch. d. h. Schr. N. T. §. 156: ἀποκάλυψις *eigentlich die (künftige herrliche) Offenbarung Christi selbst* (I, 1). Depingitur ergo secundus adventus Christi. — Perlegentibus vero nobis librum Joanneum haud ita difficile est ad intellegendum de trium potissimum urbium fatis agi, scilicet de Sodomis Babylone Jerusalemo ut nomina afferam symbolica quae sunt personatae urbes Jerusalem (XI, 8) et Roma (Tertull. adv. Jud. IX: *Sic et Babylon apud Joannem nostrum Romae urbis figura est)* et civitas dei (XXI, 10) ac rursus Judaismus Ethnicismus Christianismus. Quibus quodammodo omnino res in terra gerendas descripsit: Ethnicismus enim*) et Judaismus

*) Comenius in Uno necessario X, 4: Nunc sua cuique Babylon pulchra est eamque credit ipsissimam esse Jerusalem nemini cedentem, illi omnia.

usque recurrant quoquo tempore, imo nunquam eos abesse notissimum est; quos porro iterum iterumque vincit Christus. Accuratius vero inspiciamus haec vaticinia. Cum Jerusalemi urbis quae Sodoma vocatur excidium clarissime c. XI immineat, suspicandum est ea quae inde a c. VI praegrediuntur omnia ad hanc eversionem praeparandam fieri. Tubarum enim, quarum postquam ultima cecinit moenia corruunt, prima auditur aperto ultimo sigillo; sigillorum autem primum solvitur ineunte capite sexto; ut inde ab hoc usque ad undecimum omnia artissime apta et coniuncta esse videantur. Ac revera veri simile est scriptorem ea quae bello extremo quo respublica Judaeorum interiit acciderunt aut praedicendo aut respiciendo aliquo sane modo in usum suum vertisse. Porro tuba prima censendum est classicum ad belli initium cani; quaeritur vero quo die omnino iudicium caeleste illud exordiatur? Quod responsu est expeditum. Namque ab agno iam mactato sigilla rumpi videmus; ante Messiae mortem igitur in quaerendis rebus gestis quibus respondent imagines indidem descriptae certo non regrediendum est; quare id genus explicationes praetermittemus. Quid vero magis idoneum esse potuit quam evincere post Christum a Judaeis Romanisque necatum nihil morae fuisse in paenis divinis? Impietatis autem est censere singula ea quae in destruendo gradatim Jerusalemo et gentium conversione praeparanda facta sunt, minutias esse indignas quae a Christiano vate diligentius percenseantur. — Quibus praemissis videamus de singulis: qua sola ratione diiudicari potest utrum haec sint vana an vera praeiudicia.

Ac primum quidem aspiciamus concilium iudicii c. IV. V. Sedet deus in throno quem circumdant throni viginti quattuor quibus insident totidem senatores. Hi vero non possunt esse patriarchae et apostoli. Nam vetus foedus non ita iuxta novum poni potest: vetus in novum transiit et apostoli sunt novi patriarchae Israelis. Nec cum Joachimo XII Judaeis apostolis totidem ex gentilibus annumerandi sunt; XII enim quos Christus elegit primarii apostoli locum prorsus singularem atque eminentem tenent. Repraesentant vero XXIV seniores ecclesiam eum in modum ut XII ad Judaeos, XII ad gentiles spectent. Cum tamen christiani secundum XII tribus dispertiantur (cf. inscript. epist. Jacobi), patet tribum unamquamque Israelis novi et Ju-

daeos comprehendere et gentiles insertos (cf. postea ad c. VII). Item igitur apostoli (de quibus h. l. non disseritur) duplicem quasi faciem habent, alteram ad Judaeos versam, ad gentiles alteram; unde tamen non concludendum est unumquemque apostolorum revera ad gentes praedicatum migravisse.

Liber iudicialis aperiendus traditur agno inter thronum et seniores constituto. Antequam vero videamus quamobrem vates Jesum Christum agno comparaverit, inquirere iuvat quid iam baptista cognoverit cum de Jesu diceret: Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου (Jo. I, 29). Respicit autem ad Isa. LIII, 7 qui locus etiam act. VIII, 32 ad Messiam refertur. Legitur autem illius capitis v. 12. הוא חטא רבים נשא et v. 7. רחל quod, cum, quanquam ovis esset, etiam apud O' ἀμνὸς (non ἀμνάς) verteretur, a baptista quoque hoc vocabulo dici potuit. Est vero ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου non secunda quaedam personae quam baptista monstrat appellatio quae ad priorem ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ accedat, sed, uti inde quoque apparere videtur quod v. 36 solummodo dicat ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ quasi hoc satis rem patefaciat, est appositio quaedam τοῦ ἀμνοῦ qua hic accuratius explicetur. Pari modo quamvis aliquis dicere possit a propheta eundem quidem dici et ovem et tollentem peccata multorum nec tamen peccata tollentem eo quod ovis sit, nihilominus, quia eum de quo disserit dicit esse אשם (v. 10), ad quod ovis adhibebatur, veri est simillimum, vatem in imagine paullo ante allata perseverasse et significare voluisse, illum cum ovis instar sacrificetur tollere peccata multorum. Accuratius vero quae apud prophetam leguntur conveniunt cum illo אשם de quo Lev. V, 6 disseritur; nullo enim alio loco postulatur ovis ad אשם, illo autem vel primum ordinem tenet. Atque ut prius ibi positum est נקבה מן הצאן (quod et ovem et capram complectitur), ita apud vatem v. 7. prius generatim dicitur שה (quod aut ovis est aut capra); tum vero vates utitur accuratiore vocabulo רחל quomodo in lege sequitur כשבה. Ubi additur quidem או שעירה sed propheta cum patientiam maxime describere vellet, non attulit capram. Omnino discrimen locorum ex Isaia et ex Levitico citatorum est discrimen praescripti legalis et vaticinii poetici. Apud O' צאן in Lev. et שה loco Isaiae eodem nomine προβάτου vertuntur; item ad כשבה illic et רחל hic vertendum eadem radice usi sunt, posuerunt enim in

Lev. ἀμνάδα, apud prophetam ἀμνόν. Notes tandem ut Lev. V, 6 אשם offertur על חטא, ita utrumque apud Isa. v. 10 et 12. Quantum vero inest loco Isaiano, tantum dixisse censendus est baptista. — Alia ratione Christus comparatur agno paschali. Quod apertissime occurrit apud Paulum 1 Co. V, 7: τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Et X, 16 τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας petitum ex nomine paschali כוס הברכה. Ac de agno paschali cogitavit sine dubio Joannes iam in apocalypsi cum Christum agnum mactatum appellaret; nam cum, quod postea videbimus, Judaeorum ex Aegypto exitum accuratissime in usum suum vertat, persuadere nobis omnino non possumus, eum agni qui vel maxime ad rem pertinebat prorsus oblitum fuisse. Fortasse vero etiam respexit ad solum illum locum quo apud Οʹ reperitur ἀρνίον (nam loci ubi ἀρνία προβάτων — pro בני צאן ψ. CXII, 4. 6. pro צעירי צאן Jer. L, 45. cf. Aq. Isa. XL, 11 pro טלאים — vertunt, in censum venire non posse patet). Est vero versus ille quo Jeremias XI, 19 ait: ἐγὼ δὲ ὡς ἀρνίον ἄκακον ἀγόμενον τοῦ θύεσθαι (ואני ככבש אלוף יובל לטבוח). Ibi legitur adversarios in eum consilia concepisse: *eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius.* Ipse porro (v. 20): *dominus vero exercituum* ait *est iudex iustus probans renes et cor; videbo ultionem tuam ex iis nam tibi revelavi litem meam.* Hunc locum typice Joannes interpretatus esse videatur de Messia quem vero iam non mactandum (ἀγόμενον τοῦ θύεσθαι) sed mactatum iure suo appellavit: unde ἀρνίον ὡς ἐσφαγμένον h. e. quod ita constitutum erat ut mactatum solet esse. Ad ὡς cf. Jo. I, 14. (Mt. VII, 29. 2 Co. II, 17). טבח vero per σφάττειν vertit ut sexies apud Οʹ factum esse videmus, cum bis tantum per θύειν transtulerint (semel μαγειρεύειν); טִבְחָה bis σφαγή, טֶבַח octies σφαγή, bis σφάγιον, bis tantum θῦμα; טִבְחָה bis σφαγή, semel θῦμα. — Christum vero esse agnum paschalem baptista tunc temporis saltem, cum verba illa proferret, nondum cognoverat; nam si cognovisset sine dubio maiore hoc nomine, quo Judaismus abrogatur, eum collaudasset. Post aetatem apostolicam cum accuratior cognitio codicum sacrorum deesset confusam invenimus differentiam illam. Ita Justinus dial. c. III: ἦν γὰρ τὸ πάσχα ὁ Χριστὸς ὁ τυθεὶς ὕστερον ὡς Ἡσαΐας ἔφη· αὐτὸς ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη — siquidem dicere voluit prophetam illum iam Christum ut sacrificium

paschale praenunciare. Clemens Alex. chron. pasch. Dind. p. 14: ὁ κύριος αὐτὸς ὢν τὸ πάσχα, ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἀγόμενος — ubi bene baptistae verba cum loco Isaiano componit, perperam vero illa explicationis instar ad πάσχα addere videtur.

Est igitur agnus paschalis qui aperit sigilla. Quattuor vero cherubes qui mundum repraesentant (Philo de visione Abrahami. Auch. p. 616) Christum provocant. Ut in fine sponsa ait: veni; ita hic animalia. Mt. XII, 21 et Ro. XV, 12 ex Isa. XI, 10 laudatur: ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. Gen. XLIX, 10: כי יבא שילה ולו יקהת עמים vertunt O': ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. Clem. (hom. III, 49) recogn. I, 50: *tamen prophetae contra ordinem et consequentiam rerum dixere eum expectationem gentium et non Judaeorum.* Hieron. l. Gen.: *donec veniat qui mittendus est et ipse erit expectatio gentium.* Idem Agg. II, 8: *veniet desideratus cunctis gentibus.* Porro ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται κτλ. Ro. VIII, 19 sq. Omnis igitur creatura venturum expectat et evocat. Ac primum quidem animal dicit: ἔρχου καὶ ἴδε quibus verbis ipsis Christus in evangelio (XI, 34) ad resuscitandum Lazarum invitatur, in apocalypsi ad propriam resurrectionem ut mox apparebit.

Resignatur sigillum primum. Prodit equus albus in quo consedit sagittarius cui data est corona et proficiscitur victor atque ut vincat. Wetstenus intellegit Artabanum II regem Parthorum qui Judaeos in Babylonia magna clade afflixit sub Claudio imperatore, Harenbergus p. 265 Tiberium quem in Judaeos imperium exercuisse severum probat. Optime Grotius (cf. Aretam ad v. 2. fin.) equitem Christum esse ait. Victorem autem appellatum eum esse censeo non solam eam ob causam quia victurus erat (καὶ ἵνα νικήσῃ), iam enim reapse victorem sese exhibuit: vicit mortem. Quo facto primum quoddam de Judaeis iudicium tulit ut qui caeci damnaverant eum qui nunc vel mortis se exhibet dominum. Illo igitur inimico quem nemo homo effugere potest debellato surgens ex sepulcro inter vivos revertitur atque ipso adventu dicere videtur: ἐγενόμην νεκρὸς καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων (I, 18). Contigit vero Joanni visio ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ [I, 10] — κἂν τούτῳ

τιμηθείση διὰ τὴν ἀνάστασιν. Oecum.*) Neque amplius Christus ut paullo ante fert coronam spinosam et calamum sed armatus est arcu et ornatus corona vitae (Cf. Hebr. II, 9.). στέφανος τῆς ζωῆς II, 10 (1 Co. IX, 25.). τῆς δικαιοσύνης 2 Tim. IV, 8. τῆς δόξης 1 Petr. V, 4. Arcus dei memoratur ψ. VII, 13. θρ. II, 4. III, 12. sagittae significant paenas ψ. VII, 14. XXXVIII, 3. LXIV, 8. XCI, 5. θρ. III, 12. 13. Ezech. V, 16. Job. VI, 4. XXXIV, 6. Zach. IX, 14. Deut. XXXII, 23. 42. Nec mirabere eundem quasi agnum mactatum in caelo aperire sigilla libri iudicialis eundemque bellatoris officio in terra fungi: de rebus enim divinis agitur per vaticinii pellucentibus velamen versicolor. Sic qui agnus est, idem est leo V, 5. 6. unde ὀργὴ τοῦ ἀρνίου VI, 16. Ad Christum armatum conferas Mechiltham ad Exod. XV, 3. Ugol. XIV. p. CCXXIX sq.: R. Juda docet apparuisse deum cum omnibus instrumentis bellicis quasi fortem praecinctum gladio [ψ. XLV, 4], quasi equitem [ψ. XVIII, 11], quasi cum lorica et galea [Isa. LIX, 17] et lancea [Hab. III, 11. ψ. XXXV, 3] et arcu sagittisque [Hab. III, 9. 2 Sam. XXII, 15] et in armis et scuto [ψ. XCI, 2. XXXV, 2.]. Compositor tamen Mechilthae censet non hisce sed nomine suo pugnasse dominum cum scriptum sit: dominus vir bellator, dominus nomen eius [Exod. XV, 3]. Et sectionis finem versus idem probat locis 1 Sa. XVII, 45. ψ. XX, 8. 2 paral. XIV, 11. Similiter armatus hicce est ipse λόγος: cf. XIX, 11. 13. — Bengel ad Jo. XII, 14: ὀνάριον *asellus diminutivum non tam asino opponitur h. l. quam equo feroci quo non est usus dominus.* Iam in reditu ad iudicium eo utitur (cf. Rinck apokalypt. Forschungen p. 66). Omnino bellatores equis insidentes describuntur ut magis terribiles peditibus et audaciores et qui volubilius hinc illic transcurrere possint. Equum vero redituri Christi ipsum descripsisse videatur deus apud Jobum (XXXIX, 20—25): *maiestas fremitus eius: terror. Quatit campum et exultat vigore, evehitur in occursum armorum. Ridet pavorem nec perterretur; non tergiversatur gladium. Super ipsum stridet pharetra, cuspis coruscans et lancea. Fervens et fremens sorbet terram, non con-*

---

*) Aretae utor editione Crameriana adiecta *catenae in epistolas catholicas* Oxon. 1840. p. 181 sq. Ubi etiam σύνοψις σχολική ex Oecumenio p. 497 sq.

sistit cum canit buccina. Quotiens audit tubam, dicit vah! Eminus odoratur pugnam, tonantem ducum vocem et ululatum. Nec praetervehitur eques sed dux adest omnibus quae sequuntur rebus bellicis; quotiensque sonat tuba, fit iussu ipsius.

Iam vero sequitur eius exercitus. Ac primum quidem concitato equo *russeo* (Tertull. de pudic. XX) advolat eques secundus. *Ἐδόθη αὐτῷ λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἐκ τῆς γῆς καὶ ἵνα ἀλλήλους σφάξουσιν καὶ ἐδόθη αὐτῷ μάχαιρα μεγάλη.* Qui Christum mactaverant (V, 12), ita puniuntur ut se mutuo mactent. (Cf. Mt. X, 34. 35.) Cocceius: *ablata est pax a terra h. e. a populo Judaico per Gessium Florum procuratorem Caesaris Neronis, primum belli Judaici incendiarium.* Et porro: *ut se mutuo interficerent. Hoc ni fallor potest dici illud abominabile quod stetit in loco sancto nempe exercitus Idumaeorum, Johannis, Eleasari et Simonis et Zelotae.* Denique: *et datus est ipsi gladius magnus. Coactus est magnus ille gladius Romanorum inservire ecclesiae et regno Christi ad iudicandum hostes eius.* Haec si recte ille animadvertisset, stilus re inorata deponendus nobis esset; quid enim restaret reliquis visionibus ad Jerusalemi exitium spectantibus? nihil fere praeter extremam ipsam eversionem. Praeterea quae bellum praecesserunt, silentio praetermissa essent. Quamobrem improbandus Cocceius et redeundum est ad Grotium qui ad verba *λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἐκ τῆς γῆς*: *aufert* inquit *pacem e terra Judaea et locis in quibus erant Judaei. Loquitur autem hic de bellis Judaeorum cum vicinis aut eadem oppida habitantibus quale fuit Judaeorum in Beroea habitantium contra Philadelphenos.* Et ad verba *ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι*: *Judaeos vicini, vicinos Judaei, imo et Judaei Judaeos.* Plura attulit Wetstenus qui ait: *intelligo Judaeam et in ea tumultus ortos, Judaeorum et gentium intestina dissidia, latrones, sicarios, Theudae motus sub Fado, supplicium filiorum Judae Galilaei sub Tiberio Alexandro defectionem molientium, seditionem sub Cumano tempore paschatis, in Samaria, in Peraea Caesareae.* Item Herderus de equite hoc iudicat: Er nahm den Frieden vom Lande dass sie sich unter einander würgten, es war kein Krieg, sondern Uneinigkeit Aufruhr Blutvergiessen Metzeln und Würgen. In Babel Seleucia Galilaea Peraea erging über die Juden ein Blutbad nach dem andern, in Peraea wo Zug für Zug die Beschreibung Johannes trifft bändigte sie Fadus, in Galilaea war

Judas Auflauf. Qui rectissime summam tetigerunt. Quanquam Judae Galilaei seditio, utpote dudum ante tempus de quo agitur facta, non afferenda erat. Judae vero filios si quis usque ad Tiberii Alexandri tempora defectionem sollicitasse censeat cum ab illo demum procuratore morte afflicti sint, tamen certum haudquaquam est quam ob rem fuerint interfecti. Sunt vero post Christi mortem in Judaea dissidia nata primum sub Cuspio Fado quem, postea quam Agrippa anno 44 mortuus est, Claudius Caesar in Judaeam misit procuratorem (Jos. A. XX, 1). Qui cum adveniret anno 45 (Wieseler Chronol. des apostol. Zeitalters p. 158), offendit dissidium inter Philadelphenses et Judaeos Peraeae incolas de Miae vici finibus ortum quam ab rem Philadelphensium multis occisis tres primores Judaeorum Peraeam incolentium comprehensos interfecit. Nec latrones deerant. Pergit enim Josephus [edit. Dindorf.]: *ἀναιρεῖται δὲ καὶ Θολομαῖος ὁ ἀρχιλῄστης μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἀχθεὶς δέσμιος ἐπ' αὐτόν, διατεθεικὼς μέγιστα κακὰ τὴν Ἰδουμαίαν καὶ τοὺς Ἄραβας. Ἐκαθάρθη τε λῃστηρίων ἅπασα τοὐντεῦθεν ἡ Ἰουδαία φροντίδι καὶ προνοίᾳ τοῦ Φάδου.* Extitit etiam Theudas cuius facinora notissima (c. 5). — Quamvis vero terra proxime Judaeam significet, tamen, cum inde ad Judaeos transferatur, eos etiam complectitur qui non in ipsa terra sancta habitarunt. Omnino per terram Judaismus indicatur ex opposito maris gentilium ut postea patebit. Quare recte Herderum respexisse censeo ad gravem illam calamitatem quae sub Caio incidit Judaeis Mesopotamiam maximeque Babyloniam incolentibus (Jos. A. XVIII, 9), quibus addam caedes Alexandriae factas quas narrat Philo in legatione ad Caium. Perperam tamen Harenbergus p. 266 putavit ipsum huius imperatoris animum caedis cupidum tumultusque significari qui exorti sunt cum statuam suam in templo Jerusalemitano collocari iussisset. — Haec sunt quae secundus eques attulit. Nam quae ex postea factis significata sunt a tribus illis interpretibus, non ad secundum equitem pertinent.

Iam enim exierat eques tertius. Ingravescebant paenae, nam *beatiores interfecti gladio quam interfecti fame*, *θρ*. IV, 9. Aretas: *τὸ τὸν σῖτον τιμιουλκεῖσθαι, λιμοῦ δεῖγμα.* cf. Ezech. IV, 16. Hunc equitem auctore Grotio Wetstenus Harenbergus (p. 266) Herderus adeo apte ad famem sub Claudio factam ret-

tulerunt ut vix queat intellegi quid opponi possit. Dicit Grotius: *fuerunt multa mala eius generis. ἔσονται λιμοί Mt. XXIV, 7. Lu. XXI, 11. sed maxime insigne illud ab Agabo praedictum [act. XI, 28] ubi οἰκουμένη est Judaea.* Wetstenus rectius quidem addit *famem sub Claudio non in sola Judaea sed per totum orbem terrarum fuisse* (cf. locos quos ipse ad Mt. XXIV, 7 attulit et Wiesel. Chronol. d. apost. Zeit. p. 157. ann. 2.) et sane Grotius iure strictius *οἰκουμένην* de sola Palaestina explicavit, at e sigillo hoc tertio plaga prodit Judaeis inflicta. De qua Josephus (A. XX, 2, 6): *λιμοῦ γάρ αὐτῶν τὴν πόλιν* (Jerusalemum) *κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον πιέζοντος καὶ πολλῶν ὑπ' ἐνδείας ἀναλωμάτων φθειρομένων κτλ.* et praecipue postea (5, 2): *ἐπὶ τούτοις δὴ καὶ τὸν μέγαν λιμὸν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν συνέβη γενέσθαι.* Verba *ἐπὶ τούτοις* Crednerus Einleit. p. 330 vertenda censet: p r o p t e r h a e c h. e. propter apostasiam Tiberii Alexandri procuratoris de cuius patre verba proxime antecedentia haec sunt: *ὃς διήνεγκε καὶ τῇ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ τοῦ παιδὸς Ἀλεξάνδρου* de quo addit: *τοῖς γὰρ πατρίοις οὐκ ἐνέμενεν οὗτος ἔθεσιν.* Crednerus: das musste dem Jehova misfallen; daher die Hungersnoth. Guericke vero Gesch. d. N. T. p. 51. iure dubitat dass die Heterodoxie des Tiberius wirklich dem Josephus als eine genugsam begründende Ursach der Hungersnoth erschienen sei. Nec tamen defendenda est vulgaris explicatio; vertunt enim *ἐπὶ τούτοις* s u b h i s sc. procuratoribus Fado et Alexandro. Attamen modo absolverat Fadi procurationem diserta formula: *τὰ μὲν οὖν συμβάντα τοῖς Ἰουδαίοις κατὰ τοὺς Κουσπίου Φάδου τῆς ἐπιτροπῆς χρόνους ταῦτα ἐγένετο.* Quare turbulentissimum narratorem eum qui maxime consideratus est deberemus censere si tribus lineis post tale quid gravissimum suppleret. Nec transtulerim a d h a e c seu p r a e t e r e a (qua sententia paullo post apud Josephum: *πρὸς τούτοις*); satis enim imparia nimis neglegenter ita coniuncta essent. Quanquam re esset idem quam quod dictnrus sum. Explico enim *ἐπὶ τούτοις* de tempore atque ita quidem ut accuratius significet: p o s t h a e c sc. post decessum Fadi ac Tiberii auspicia. Usu tamen latius patet ut transferri possit t u m h. e. sub Tiberio Alexandro. Nec repugnat quod Josephus loco illo quem prius attulimus iam ante Fadi discessum famis mentionem fecit. De Helena enim Monobazi Adiabenorum regis sorore et uxore agens addit quod postea cum religionem

Judaicam amplexa esset fecit: Jerusalemum enim profecta egenis grassante fame cibos distribuit. Unde si nexum narrationis respexeris non poteris derivare annonam iam sub Fado fuisse. Porro non accidit ante annum 45. Die enim vigesimo octavo mensis Junii anni 45 Cuspius nondum Judaeae procuratura abscesserat (cf. Wieseler Chron. d. apost. Zeit. p. 158); fames vero circa pascha gravissima erat (Jos. A. XX, 2, 6. III, 15, 3). Quanquam igitur fieri potuit ut iam exeunte anno 45 inciperet, certum tamen non videtur esse. Quare non definiverim utrum viri illi docti XXV quos in tabula synchronistica de Pauli itinere secundo Wieselerus confert quibus accedit et ipse, recte iter illud ad fratres famis tempore egentes adiuvandos factum ante annum 46 posuerint, an maior fides habenda sit chronico paschali quocum consentit Sueskindus: ponunt enim annum 46. Hoc tamen veri similius esse videtur cum Josephus non ita loquatur quasi longius ante pascha illud fames duraverit. Ait enim (XX, 2, 6) Helenae adventu nihil opportunius potuisse accidere Jerusalemitis fame urbem ipsorum *κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον* premente h. e. circa tempus festi illius brevi ante messem. Post annum 48 vero descendi nequit cum hoc ipso Tiberius Alexander a procuratura devocatus sit.

Memorat victum maxime communem: *σῖτον κριθήν ἔλαιον οἶνον*. Ex quibus oleum etiam ad ungendum et illuminandum adhibebatur. *Σῖτος* h. l. idem est quod *πυρός* qui alias cum *κριθῇ* sub notione *σίτου* comprehenditur. Quattuor illa vel comprehensis duobus tria saepe una memorantur. Philo II, 249: *Ὅταν ἀπάρξωνταί τινες ἀπὸ παντός μέρους κτήσεως πυρούς κριθάς ἔλαιον οἶνον τὰ κάλλιστα τῶν ἀκροδρύων, ἔπειτα τῶν ζώων τὰ πρωτότοκα ἀρρενικά κτλ.* Respicit ad Nu. XVIII, 12. 13: *πᾶσα ἀπαρχὴ ἐλαίου καὶ πᾶσα ἀπαρχὴ οἴνου, σίτου ἀπαρχὴ αὐτῶν ὅσα ἂν δῶσι τῷ κυρίῳ, σοὶ δέδωκα αὐτά· τὰ πρωτογεννήματα πάντα ὅσα ἐν τῇ γῇ αὐτῶν ὅσα ἂν ἐνέγκωσι κυρίῳ, σοὶ ἔσται.* Et Deut. XVIII, 4: *τὰς ἀπαρχὰς τοῦ σίτου σου καὶ τοῦ οἴνου σου καὶ τοῦ ἐλαίου σου καὶ τὴν ἀπαρχὴν τῶν κούρων τῶν προβάτων σου δώσεις αὐτῷ [τῷ ἱερεῖ].* Item Deut. VIII, 8 laudatur terra promissionis: *γῆ πυροῦ καὶ κριθῆς, ἄμπελοι συκαῖ ῥοαῖ, γῆ ἐλαίας ἐλαίου καὶ μέλιτος.* XI, 14. XII, 17. XIV, 23. XVIII, 4. XXVIII, 51: *σῖτος οἶνος ἔλαιον.* Porro Joel 1, 10 (ubi v. 11. *πυροῦ καὶ κριθῆς*). II, 19. Os. II, 10. 24. al. Philo II, 390: *ἐπανα-*

τρυγῶσι μὲν τοὺς ἀμπελῶνας καὶ ἐλαιῶνας τήν τε κριθοφόρον καὶ σιτοφόρον γῆν ἀναθερίζουσι κτλ. II, 425 τῶν δὲ κατ᾽ ἀγρὸν εὐφορίαις τῶν ἀναγκαίων σίτου οἴνου ἐλαίου καὶ τῶν πρὸς ἁβροδίαιτον βίον, ταῦτα δέ ἐστι τὰ ἀμύθητα γένη τῶν ἀκροδρύων καὶ ἔτι βουκολίων αἰπολίων, τῶν ἄλλων θρεμμάτων εὐτοκία. (Ex significatione olei et vini patebit vatem ea ut h. l. Philo facit ad necessaria vitae instrumenta annumerare neque ad ea quibus facilius carere possint ut alio loco idem Philo. II, 169: σφόδρα μὲν οὖν ἀναγκαῖα πυροί τε καὶ κριθαὶ καὶ ὅσα ἄλλα εἴδη τροφῆς ὧν ἄνευ ζῆν οὐκ ἔστιν. Ἔλαιον δὲ καὶ οἶνος καὶ ἀκροδρύα οὐχὶ τῶν ἀναγκαίων ἐπεὶ καὶ δίχα τούτων ἄχρι μακροτάτου γήρως παρατείνοντες εἰς πολυετίαν βιοῦσιν ἄνθρωποι). Tritici bilibris eodem pretio emitur quo tres bilibres hordei. Philo II, 309: κρίθινον δέ ἐστι τὸ ἄλευρον, [Nu. V, 15] ἴσως ἐπειδὴ ὑπαμφίβολός ἐστιν ἡ ἀπὸ κριθῆς τροφὴ καὶ ἀλόγοις ζώοις καὶ ἀτυχέσιν ἀνθρώποις ἐφαρμόζεται, σύμβολον τοῦ τὴν μεμοιχουμένην οὐδὲν θηρίων διαφέρειν κτλ. Choenix tantum continet quantum uno die ad sustentandam vitam sufficit (cf. Wetst.), denarius est merces unius diei (Mt. XX, 2.); ita singulis diebus ratio par erat accepti et expensi. — Notavit vero Alcasar p. 453 nec bilibrem nec triticum nec hordeum habere articulum cum tamen et vinum et oleum eo instructum sit. *Ex quo* ait *infero sermonem esse de vulgari tritico atque hordeo; de vino autem et oleo non quidem vulgari sed singulari aliquo et peculiari.* Idem observabimus VII, 14 ad τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης et X, 3 αἱ ἑπτὰ βρονταί et XI, 3 τοῖς δυσὶν μάρτυσίν μου ac v. 4. αἱ δύο ἐλαῖαι καὶ αἱ δύο λυχνίαι cet. quibus omnibus locis de certis notisque quibusdam rebus mentio iniicitur. Pergit Alcasar: *Quare existimo vinum et oleum in sensu spiritali esse capienda: ita ut deprecentur ne in obscura noctis caligine h. e. in huiusce vitae laboribus adversitatibus et aerumnis ne illis oleum desit quo accensam alere lucernam possint h. e. ne destituantur luce et vera cognitione felicitatis quae in sancta paupertate includitur: neve absit spiritus sancti unctio.* Et postea: *deinde ne illos spiritalis laetitiae vinum deficiat.* Iam apud Oecumenium legitur ad h. l.: τὸ δὲ ἐντετάλθαι μὴ ἀδικῆσαι τὸν οἶνον καὶ τὸ ἔλαιον· τὸ μὴ ἀθετεῖσθαι τὴν δι᾽ ἐπιστροφῆς Χριστοῦ ἰατρείαν ἣ τὸν ἐμπεπτωκότα εἰς τοὺς λῃστὰς ἐθεράπευσεν [Lu. X, 34: κατέδησεν τὰ τραύματα αὐτοῦ ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον] μήτε προαναρπαγῆναι θανάτῳ τούτους οἳ διὰ μακροθυμίας

τὴν ἧτταν ἔμελλον ἀναμαχήσασθαι Pari modo Aretas ad XI, 4: *τὸ τῆς θείας φιλανθρωπίας σύμβολον ἔλαιον.* Ad Mt. XXV, 2—4: *αἱ δὲ φρόνιμοι ἔλαβον ἔλαιον*, didasc. apost. II, 13: *τὸ τῆς εὐποιΐας* (al. *εὐσεβείας*) *ἔλαιον.* Sed maxime respiciendum est ad ipsius Ioannis usum qui I ep. II, 20: *ὑμεῖς* ait *χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου καὶ οἴδατε πάντα* et v. 27: *ὑμεῖς τὸ χρῖσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, μένει ἐν ὑμῖν καὶ οὐ χρείαν ἔχετε ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς ἀλλ' ὡς τὸ αὐτοῦ χρῖσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων καὶ ἀληθές ἐστιν καὶ οὐκ ἔστιν ψεῦδος.* Quo utroque loco unguentum cum veritate coniunctum, nam veritas lux est et flamma oleo sustinetur. Dicit vero chrisma, non oleum, ut disertius ad Christum referat oleo illo unctum, et cum Christianis unctionem illam communicantem. *Ψ.* CV, 15. אל תגעו במשיחי ולנביאי אל תרעו. Ubi patriarchis prophetarum unctorumque (*Ο'*: *τῶν χριστῶν μου*) nomina tribuuntur cum spiritu prophetico ex quo veritatem confessi sunt et praedicaverunt uncti fuerint cf. Gen. XX, 7. Ad olei significationem Ioanneam, proxime accedit Philo. In op. Armen. ad Exod. XXVII, 20 sq. *λαβέτωσάν σοι ἔλαιον ἐξ ἐλαίων ἄτρυγον καθαρὸν κεκομμένον εἰς φῶς καῦσαι ἵνα καίηται λύχνος διαπαντὸς ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου* ita exponit apud Aucherum p. 534 sq.: *Alienum quicqu..m non ordinavit ut admoveretur in sancta; quoniam alienigenorum olfactionem ex sesamo, dactylo nuceque ac similibus alienam existimavit: familiare ergo et proprium oleum est ex olivis ut et nomen ipsum indicat; super enim omnes species olei nomen appellatur per translationem ex oliva quae ad veritatem accedit veraciter. Secundo relicua omnia commixtione aliorum studiose usurpata referuntur ad genus olei, olivae vero per se privatim, nam oleum distillat expressum; sicut et vitis fructus sine mixtura aliqua vinum efficit.* Quod notes ad coniunctionem *ἐλαίου* et *οἴνου*. Paullo post: *lumen est sapientia per quam omnia nascuntur quaequae in natura sunt, oleum autem materia est et apparatus sapientiae.* Item in Genes. p. 239: *Et oliva semper virginis purioris essentiae est quam sortitus est globus inenarrabilis; oleum enim luminis materia est: caelum autem splendoris figuram gerit in quo et lucidae stellae sunt.* Porro oliva Israel Os. XIV, 7. Jer. XI, 16. (ψ. LII, 10.) Ro. XI: *καλλιέλαιος*. (Cf. Beidâvi ad sur. 95, 1.) Item vitis Israel de qua re infra ad c. XIV. Oleum et vinum h. l. imagines sunt Israelis novi, ecclesiae christianae. Iubetur igi-

tur eques ut Christianis parcat ne Iudaeis oleum et vinum desit quibus plagas fovere et curare possint atque unde lucem cognitionis et animi fortitudinem accipiant.

Sed non resipuerunt. Quare solvitur sigillum quartum. *Καὶ εἶδον καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ ὄνομα αὐτῷ ὁ θάνατος.* Quam mortem Grotius *pestilentiam et morbos letiferos* dicit. דֶּבֶר apud *Ο'* *θάνατος* Ex. V, 3. IX, 9. Deut. XXVIII, 21. Ezech. XXXIII, 27. XIV, 19. Cf. apoc. XVIII, 8. Wetstenus: *diu duravit fames unde morbi oriebantur* [saepenumero in Sibyllinis coniuncti *λιμοὶ καὶ λοιμοί*] *et latrocinia sub Felice Festo Albino et Floro. Jos. B.* II, 14, 2: *διὰ γοῦν τὴν ἐκείνου πλεονεξίαν πάσας ἐρημωθῆναι συνέβη τὰς τοπαρχίας.* 3: *τὸν λυμεῶνα τῆς χώρας Φλῶρον ἐκεκράγεισαν.* Harenbergus p. 267. hic repperit die grimmigen Plagen welche unter der Regierung des Nero im gelobten Lande durch die Landpfleger, den Cumanus Felix Festus Albinus Florus und Vespasianus den Vater gewüthet haben. Herderus: Von Strassenräubern wimmelte das Land. Duntaxat accuratius non latrocinia sed interfectiones significatae sunt. Quae primum sub Cumano anno 50 procuraturam accipiente (Wieseler. l. c. p. 68) acciderunt: Iudaeorum tempore festo circa templum oppressio*), Samaritanorum concursus cum Iudaeis et quae inde secuta sunt (Ios. A. XX, 6.). Porro postquam Neronem ad imperium accessisse dixit, ita idem narrat Iosephus (ib. 8, 5.): *Τὰ δὲ κατὰ τὴν Ἰουδαίαν πράγματα πρὸς τὸ χεῖρον ἀεὶ τὴν ἐπίδοσιν ἐλάμβανε. Λῃστηρίων γὰρ ἡ χώρα πάλιν ἀνεπλήσθη καὶ γοήτων ἀνθρώπων οἳ τὸν ὄχλον ἠπάτων. Ἀλλὰ τούτων μὲν ὁ Φῆλιξ* [qui anno 53 secutus est. Cf. Wieseler. p. 67.] *πολλοὺς καθ' ἡμέραν ἑκάστην σὺν τοῖς λῃσταῖς λαμβάνων ἀνῄρει κτλ.* Cf. Act. XXIV, 3. Porro Felix per sicarios interfecit Ionathanem pontificem. *Ἀνεκδικήτου δὲ τοῦ φόνου μεμενηκότος μετὰ πάσης τὸ λοιπὸν ἀδείας ἀναβαίνοντες ἐν ταῖς ἑορταῖς οἱ λῃσταὶ καὶ τὸν σίδηρον ὁμοίως κεκρυμμένον ἔχοντες συναναμιγνύμενοι τοῖς πλήθεσιν ἀνῄρουν οὓς μὲν ἑαυτῶν ἐχθροὺς οὓς δὲ ἐπὶ χρήμασιν ἄλλοις ὑπηρετοῦντες, οὐ μόνον κατὰ τὴν ἄλλην πόλιν ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ ἱερὸν ἐνίους· καὶ*

---

*) Ios. XX, 5, 3 viginti millia affert, B. II, 12, 1. decem millia. Triginta Eusebius h. e. II, 19 fortasse ex utroque illo loco conflavit.

γὰρ ἐκεῖ σφάττειν ἐτόλμων οὐδὲ ἐν τούτῳ δοκοῦντες ἀσεβεῖν (A. XX, 8, 5.). Exinde multos qui circulatores impostoresque in desertum secuti erant ut prodigia divina viderent, Felix retractos supplicio affecit. Eodem tempore ex iis qui Aegyptii cuiusdam nutu Jerusalemi muros corruturos esse expectarent quadringenti a militibus Romanis interfecti sunt. Rursum latrones populum ad bellum contra Romanos concitabant et dissentientium vicos incendebant diripiebantque (§. 6.). Praeterea Iudaeis Caesaream incolentibus sanguineae erant cum Syris controversiae de civitate ex aequo sibi debito (§. 7. 9.). Interea cum dissensio nata esset inter pontifices et sacerdotes et illi servos ad areas mitterent decimas sacerdotibus debitas surrepturos, qui ex illis inopes erant prae penuria interierunt (§. 9.). Post Felicem vero cum Porcius Festus a Nerone missus advenisset anno 60 (Wiesel. p. 92.), Iudaea a latronibus vexabatur qui omnes ut iterum dicit Iosephus vicos incendebant et diripiebant. Et sicarii tunc maxime ad magnum numerum excreverant qui et festis diebus turbae permisti quotquot voluerunt trucidabant et vicos et ipsi diripiebant incensos. Ac praestigiator quidam cum popello, quem malorum cessationis spe inescaverat inque desertum eduxerat, militibus immissis interfectus est (Ios. l. l, §. 10.). Albinus quem primum festo tabernaculorum anni 62 successorem Festi invenimus (Wies. p. 89 sq.) quanquam multitudinem sicariorum interficiendam curavit, tamen isti homines accreverunt novaque scelera perpetrarunt (ib. 9, 2. 3.). Iterum sacerdotes decimis eodem modo ereptis cibi inopia moriebantur (§. 2.). Sub finem denique magistratus Albinus eos qui manifesto necem promeruerant occidi iussit, quicunque vero de leviore quadam causa in carcerem coniecti erant, eos accepta pe cunia dimisit: atque ita carcer quidem vinctis purgatus est, regio vero repleta latronibus ut Iosephus ait (§. 5.) Iam vero his paullo accuratius allatis palam est quo iure omnia illa quarto equiti qui mors est tributa sint.

Quattuor hi equites (quos Alcasar ad singulas quasdam illius temporis res gestas non applicat) a Viega referuntur ad angustias sub Caligula Nerone Tito Domitiano. Abauzitus odoratus est quodammodo de quibusnam fere rebus ageret visum quattuor equitum quos quattuor esse ait Iudaeae procuratores plerumque ex equestri ordine electos [Tacit. hist. V, 9.]: Feli-

cem Festum Albinum Florum. Ultimus, mors, optime repraesentat Florum cuius facinora crudelia Judaeorum rebellionem excitaverunt innumerasque caedes in urbibus Palaestinae in quibus partim Iudaei partim ethnici habitabant ut Caesareae Scythopoli et aliis locis. Numerus Judaeorum occisorum in iis urbibus ubi maior pars incolarum ex gentibus erat exprimitur per tertiam partem IX, 18. Ita ille. — Non videtur necesse esse haec refellere; hoc tamen iuvat afferre quod hisce apertis sigillis nondum ultra limen belli Iudaeorum contra Romanos progressi sumus. Illis quae modo attulimus enarratis Iosephus finem imponit operi de archaeologia Iudaica conscripto; bellum vero quod Iudaeorum reipublicae fatale cecidit idem auctor volumine tradiderat singulari. Pari modo et ipse Ioannes illa quae explicavimus totum quoddam per se spectandum et circumscriptum efficere, non solum eo indicavit quod non plures educeret equites, verum etiam subscriptionem addidit. Sunt autem verba ea: *καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ᾽ αὐτοῦ καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς ἀποκτεῖναι ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν θανάτῳ καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς.* Uti Christus praegreditur tres equites, ita Infernus eos, proxime igitur mortem, consequitur. Exequitur vero hic mandata divina (*ἐδόθη*) *) in occidendo per gladium famem mortem h. e. per tres illos equites quibus quarto loco adiiciuntur bestiae. Gladium famem pestem minitatur deus Iudaeis Ier. XIV, 12. XXIV, 10. XXVII, 8. XXXII, 36. XXXVIII, 2. XLII, 17. XLIV, 13. Gladium pestem famem XXXIV, 17. Pestem gladium famem XXI, 7. Pestem famem gladium Ezech. V, 12. Sed locus quem Ioannes proxime secutus est, legitur Ezech. XIV, 21: *τάδε λέγει κύριος· ἐὰν δὲ καὶ τὰς τέσσαρας ἐκδικήσεις μου τὰς πονηρὰς ῥομφαίαν καὶ λιμὸν καὶ θηρία πονηρὰ καὶ θάνατον ἐξαποστείλω ἐπὶ Ἰερουσαλήμ* ubi quae sequuntnr comparentur cum iis quae vates noster c. VII. narrat. Quod vero ad bestias attinet Herderus dicit: Die Leichname lagen an den Landstrassen und wurden von den Thieren gefressen (summa vero inter Iudaeos miseria ducebatur si quis iaceret insepultus), sed quoniam bestiae h. l. non mortuos de-

*) Tenet enim Christus claves mortis et inferni I, 18. Inde etiam quod primi equitis munus non repetitur inter ea quae data sunt Inferno, apparet illum prae ceteris eminere ut ducem supremum cui subditus et ipse Infernus.

vorare sed vivos interficere videntur, ad homines eas bestiarum instar viventes et furentes referas. At quomodo hosce ab iis quos sub equite quarto significavit distinxerit, sane est *δυσπαρακολούθητον*.

Licet vero uterque scriptor eas res quas percensuimus afferat, magna tamen in exponenda belli causa inter auctorem Iudaeum et vatem Christianum apparet differentia. Hic enim cum et ipsos equites puniendi causa egressos esse intellegeret, ille contra non eo usque cognitionis progressus videtur esse sed in ea substitit sententia ut, miseriarum illarum originem non altius prosecutus, scelera eas esse declararet quibus paena divina non defutura fuisset quam quidem ex bello fatali illo initium capere censuit. Eas enim quas populus cum Christum cruci affigeret conceperat fraudes inexpiabiles adeo non cognoverat ut posset dicere (XX, 9, 4.): *ἐξ ἐκείνου μάλιστα τοῦ καιροῦ* (sc. cum uterque pontifex Iesus alter Damnaei alter Gamalielis filius concitationes moveret sub Albino) *συνέβη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσεῖν προκοπτόντων πάντων ἐπὶ τὸ χεῖρον*. Quasi eo usque fuisset sana. Post locum autem quem supra ultimum ex eo attulimus adiiciens hymnodos pari modo ac sacerdotes lineam vestem concedente rege sibi assumpsisse, ita pergit (XX, 9, 6.): *πάντα δὲ ἦν ἐναντία ταῦτα τοῖς πατρίοις ὧν παραβαθέντων οὐκ ἐνῆν μὴ οὐχὶ δίκας ὑποσχεῖν*. Quasi talia tunc dei iram movere potuissent. Quare in eam quam malimus sententiam ea accipere nequimus quae ad locum illum primum ubi de interfectoribus clam turbae admixtis agit adiecta legimus: *διὰ τοῦτο οἶμαι καὶ τὸν θεὸν μισήσαντα τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν ἀποστραφῆναι μὲν ἡμῶν τὴν πόλιν τὸ δὲ ἱερὸν οὐκέτι καθαρὸν οἰκητήριον αὐτῷ κρίναντα Ῥωμαίους ἐπαγαγεῖν ἡμῖν καὶ τῇ πόλει καθάρσιον πῦρ καὶ δουλείαν ἐπιβαλεῖν σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις, σωφρονίσαι ταῖς συμφοραῖς βουλόμενον ἡμᾶς*. Severi verba sunt et gravis viri, at quantum, licet facundiora, a Ioannis distant iudicio sub sigillis signisque tanquam taciturno! — Aliam nobis belli rationem divinam affert Hegesippus. Qui postquam Iacobi iusti necem narravit, simpliciter adiicit: *καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ αὐτούς*. Ac simile quid Eusebius (qui et illud servavit h. e. II, 23.) sensisse offenditur. Ubi enim de eo loquitur, quod deus benigne interiecit inter Christi mortem et Iudaicae reipublicae eversionem, paenitendi spatio annorum quadraginta: *ἐν ὅσοις* in-

quit (ib. III, 7.) *τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν μαθητῶν πλείους Ἰάκωβός τε αὐτὸς ὁ τῇδε πρῶτος ἐπίσκοπος τοῦ κυρίου χρηματίζων ἀδελφὸς ἔτι τῷ βίῳ περιόντες καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς Ἱεροσολύμων πόλεως τὰς διατριβὰς ποιούμενοι ἕρκος ὥσπερ ἐχυρώτατον παρέμενον τῷ τόπῳ.* Cf. II, 23 post fragm. Heges. (*Ἐκλογαὶ ἱστοριῶν* in Crameri anecd. graec. II. p. 280.: *Ἀγρίππα δὲ τελευτήσαντος Φῆστος καθίσταται διάδοχος ὑπὸ Νέρωνος . ἐπί τούτου Ἰουδαῖοι Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου ἀπὸ τοῦ πτερυγίου τοῦ ἱεροῦ ὠθήσαντες ἐφόνευσαν καὶ παρευθὺ διὰ τὴν τούτου ἀναίρεσιν Οὐεσπασιανὸς στρατηγὸς ὢν Ῥωμαίων πορθεῖ τὰ Ἱεροσόλυμα ὡς Ἰώσηπος ἱστορεῖ.*) Incidit autem mors eius in tempus illud quo tempore Festus mortuus erat et successor eius Albinus nondum advenerat, anno igitur 62 (cf. Wiesel. l. l. p. 89. 90.) — nam contra hanc Josephi A. XX, 9, 1. relationem nihil valet scriptoris eclogarum illius, qui longe sequioris aetatis est, testimonium modo allatum ex quo sub Festo interfectus est —; accuratius vero secundum Hegesippum festo paschali. Iniuria vero Wieselerus Iosephum et Hegesippum de eodem narrare Iacobo negat. Neque enim video scriptorum illorum narrationes conciliari inter se non posse. Uterque enim de Iacobo fratre Iesu disserit. Uterque lapidibus interemptum eum esse testatur. Solum quod Iosephus Iacobum inductum esse refert in iudicium, ad Hegesippi relationem quadrare non videatur. Concilium vero iudicum coactum fuisse, quamvis hic non narret, non repugnat tamen. Clam fieri potuit priusquam venirent ad Iacobum, rogaturi quasi fiduciam in eo collocent, ut tempore festo populum recte doceat de Iesu. Quod cum ex sua ipsius sententia audacter fecisset et multi in Christum crederent — quod secus factum iri speraverant adversarii — temere hi egisse sese cognoverunt. Quo magis effecerunt quod ab initio sibi proposuerant ut Iacobum de templi festigio deiicerent (cf. etiam Clem. Alex. ap. Euseb. l. l. et II, 1.). Humi lapidatus est. Denique vero (quod item praeter Hegesippum narrat Clemens Alex. locis modo citatis) fullonis fuste prorsus extinctus est. Erat autem in Iudaeorum legibus paenas sancientibus ut reus lapidandus ex loco duorum hominum altitudine supra solum edito à testibus pronus deiiceretur. Tum si adhuc viveret testes lapidem gravem in cor eius coniiciebant, denique vulgus quod circumstabat lapidibus percutiebat eum. Sanhedrin cap.

6 et 15. ubi cf. Maimon. Unde apparet Iudaeos supplicium de Iacobo sumpsisse quamvis tumultuarium, attamen rite quodammodo effectum. Quae cum ita sint, licet Hegesippo non relatum fuerit Jacobum in ius adductum fuisse etsi revera ita esset factum vel — id quod ut res ipsa fert veri nobis videtur esse similius — perperam, cum omnino non factum fuisset, relatum Iosepho (neutrum enim rerum auctorem ex suis tale quid omisisse vel addidisse censemus, neque illum qui simplicissime narrare videtur quod acceperat neque hunc qui ceteroqui in opere illo nefanda Iudaeorum facinora adeo aperte proloquitur ut in suspicionem venire non possit eum, ne res nimis atrox videretur, iudicium illud commentum esse) ceterum utique non est dissensio scriptorem Christianum inter et Iudaeum unde Eusebius iure de eiusdem Iacobi morte utrumque narrare censuit et utramquè relationem attulit. Nam qnod ad temporis rationem attinet, verba illa *καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ αὐτούς* cum vocabuli *εὐθὺς* potestas perquam late pateat, bene etiam de annorum nonnullorum spatio valent. Quanquam Eusebius saltem de brevissimo quodam tempore interiecto cogitasse videtur, ait enim ib. *ταύτην εἶναι τὴν αἰτίαν τῆς παραχρῆμα μετὰ τὸ μαρτύριον αὐτοῦ πολιορκίας τῆς Ἰερουσαλήμ* (et III, 11. Simonem Jerusalemi episcopum factum esse narrat *μετὰ τὴν Ἰακώβου μαρτυρίαν καὶ τὴν αὐτίκα γενομένην ἅλωσιν τῆς Ἰερουσαλήμ*). At episcopum Caesareensem ingentes in re critica commisisse mendos nemo nescit. — Addam non posse ad evincendam personae diversitatem inferri quod secundum Josephum alii nonnulli simul cum Jacobo illo mortis damnati sint qua de re taceat Hegesippus; nescimus enim et utrum illi Judaei fuerint an Christiani et, si Christiani fuerunt, an non revera et ipse Hegesippus de hisce locutus sit: est enim fragmentum quod nobis extat. — Quae cum ita sint, tempus quo Jacobus iustus frater domini mortem perpessus sit, ex Hegesippo et Josepho simul iure eruitur.

Egressio. Priusquam pergentes in explicandis vaticiniis videamus quomodo Joannes hoc fratris domini martyrium attulerit, in argumentum incurrit quaestiuncula quaedam quam cum vexatissima sit, non inutile fuerit enodasse. Ut enim Eusebius loco laudato Jacobum inter eos affert qui dum Jerusalemi

adessent, ἕρκος ὥσπερ ἐχυρώτατον urbi fuerint contra impetus adversariorum, ita cognomentum illud Jacobi περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη natum esse, possit alicui in mentem venire cum praesertim Epiphanius scribat haer. LXXVIII, 7: ἔσχε μὲν οὖν ὁ Ἰωσὴφ πρωτότοκον τὸν Ἰάκωβον τὸν ἐπικληθέντα Ὀβλίαν ἑρμηνευόμενον τεῖχος [quo vocabulo idem significare videatur quam quod Hegesippus vocabulo περιοχῆς] καὶ δίκαιον ἐπικληθέντα, ναζωραῖον δὲ ὄντα ὅπερ ἑρμηνεύεται ἅγιος. Iam vero prorsus aliter refert Nicephorus Callistus hist. II, 38: Ὀβλίας δὲ ἐκαλεῖτο ὅ ἐστι δίκαιος. Suam tamen uterque explicationem ex Hegesippi verbis excerpere videtur quae apud Eusebium II, 23 sic habent: διά γέ τοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο δίκαιος καὶ ὠβλίας ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ. Indidem etiam Cedrenus accuratius narrat συνοψ. ἱστ. Bonn. I. p. 361: ὅθεν διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ καὶ θαυμαστῆς πολιτείας ἐκαλεῖτο δίκαιος καὶ ὀβλίας ὅ ἐστι περιοχὴ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη. Ubi Guil. Xylander notat. II. p. 775: *Oblias*] *cuius linguae hoc vocabulum sit et quid significet non intelligo* . *περιοχην λαου ad verbum reddidi complexum populi.* Revera ωβλιας in lingua Hebraea (de hac enim sola cogitari posse patet) nihil significat, nedum περιοχὴν τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνην. Et locum mendosum esse inde iam perspicitur quod quinque haec vocabula sex litteris transferri nequaquam possunt. Itaque Nic. Fullerus in miscell. theol. l. III. c. l. scribendum proposuit ἐκαλεῖτο Σαδδὶκ καὶ Ὠζλιὰμ ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ δίκαιος καὶ περιοχὴ λαοῦ quam coniecturam probaverunt Valesius et Heinichenus ad l. Eus. At primum quidem graecum καὶ inter σαδδὶκ et ὤζλιάμ mirum esset. Porro λιάμ nihil est in sermone Hebraico, ad minimum erat scribendum λαάμ ea ratione qua shva graece exprimi solebat. Quod si scripsisset Fullerus, intactum relinquere potuisset voculam τοῦ ante λαοῦ, nam λαάμ est etiam forma definita. Quid quod omnino in verbis περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσυνη in quibus ut graecis error minime quaerendus est, tanta mutavit. Sit tamen et scribatur mutatis mutandis: σαδδὶκ οὐωζλαάμ ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ δίκαιος καὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ — quo tandem prophetarum loco hoc dicitur? Heinichenus Fullerum e psalmo XXI, 14 sumpsisse dicit. Ibi עז quidem legitur sed cum versus ita sonet: רומה יהוה בעזך נשירה ונזמרה

גבורתך — quid cum eo argumento de quo quaeritur similitudinis habeat non video. Et ubi illud *σαδδικ*? Similius affert Suicerus thes. II. p. 1593. hemistichium prius v. 11. ps. XXIX: יהוה עז לעמו יתן; sed quantum vel hoc a re alienum sit in propatulo est. Valesius quanquam Fulleri emendationem libenter amplexus est, tamen cum Epiphanius haer. 78. et Jovius monachus Jacobum Obliam dictum esse testarentur, cum Rufino et Nicephoro retinuit vulgarem scripturam, *maxime cum Ophlias hebraice arcem populi significet*. Hoc potius esse עֹפֶל עם observat Reinesius var. lect. l. III. c. 2. quare scribendum putat *ωφλιαμ*. Consentit Strothius. At unde illud iota? Et (ut taceam quod עפל parum accurate vocabulo *περιοχῆς* versum fuisset) ubinam legitur illud in prophetis? Suicerus tamen l. c. non ineptum censet scribere illud vel עפליה quod sit idem nomen atque Ἠφλίας apud Josephum. Neander Gesch. d. Pflanz. p. 562. ann.: Vielleicht עֹפֶל עם oder עֹב לְעָם was der Schreibart des Hegesippus näher kommt, wenn man nicht was wohl unwahrscheinlicher, mit Fuller עֹז לְעָם lesen will. Cum in textis vertat: Schutzmauer des Volkes, concinere videtur cum Hitzigiana vocabuli עב derivatione ad Ezech. XLI, 25. 26. Attamen etiamsi etymon concederemus, omnino non videmus quomodo vel hunc locum Ezechielis vel alterum solum quo legitur 3 rg. VII, 6 ad Jacobum adhibere potuerint praeterquam quod עב tantum illic legatur, non עב לעם. Porro Michaeli Sachso in opere cui inscripsit: Beiträge zur Sprach- und Alterthumsforschung aus Jüdischen Quellen in fasciculo secundo 1854 p. 32 verisimile est nomen Obliae referendum esse ad *ἔμβολον* da nach dem talmudischen Sprachgebrauche es feststeht dass überhaupt bedeckte Gänge und Ummauerungen so genannt wurden. Pergit vero: Für diese *ἔμβολα* hat der Sprachgebrauch des Talmud und der Targumim die Formen אבולי und אברלאי mit Ausstossung des *μ* (s. die Stellen im Aruch der hier auch das griechische Wort richtig angiebt) in der Bedeutung eines um die Stadt sich herumziehenden Baues oder einer Mauer (s. Mussafia). Daraus bildete sich ein syrisches Adjectiv אברליא oder אובליא Oblojo oder Abulojo von Einem der wie eine Schutzmauer Recht und Wahrheit schirmt (vgl. den biblischen Ausdruck 1 Sam. 25, 16 und Jes. 32, 2) woraus dies griechische Ὀβλίας geworden. Sufficit tamen contra hanc explica-

tionem observavisse, vocabulum ἐμβόλου nusquam reperiri apud O' (neque in n. t.); quomodo igitur dicere potuisset Hegesippus prophetas Jacobum illo nomine significasse? Porro nonne, si res se ita habebat ut Sachso videtur, Hegesippus dixisset potius: Ὠβλίας ὅ ἐστιν ἔμβολον —? Iam cum dicat: ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ περιοχὴ κτλ. aperte de vocabulo omnino non graeco disseri patet. Denique adiungere liceat ipsius Hitzigi explicationem qui tamen oblitus est, sententiam vocabuli ὠβλιας debere respondere saltem versioni ab Hegesippo additae. Ait autem ad Zachar. XI, 14: da übr. חבלים hier die ἀδελφότης bedeutet, so ist auch von Ὠβλίας Euseb. H. eccl. II, 23. d. i. חֹבְלִי־יָהּ (vgl. אֲחִיָּה) ἀδελφὸς τοῦ κυρίου nur die Uebersetzung; wie denn auch Jakobus dortselbst wirklich als Naziräer, נְזִיר־אֱלֹהִים d. h. خليل الله = Gesellschafter, Sippe Gottes geschildert wird. — Nec concedam de prophetis aliis quibusdam quam qui in canone insunt ac fortasse de Jacobi aequalibus agi, nisi si in codice sacro locus ille reperiri nequeat. Verum enim vero expiscari eum possumus. Fundamentum autem perquirendi ponenda sunt verba περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη (in quibus concinunt codices solo Sync. omittente καί). Profluxerunt vero ex prov. VIII, 18: עשר וכבוד אתי הון עתק וצדקה. Ut iustitia respondet gloriae, ita divitiis respondet הון עתק. Significat vero הון penum. targ.: מְמוֹנָא. Syr. (etiam hexapl.): ܩܢܝܢܐ. O': κτῆσις. Aq.: ὕπαρξις. Ar.: أقتناء. Hieron.: opes. עתק autem (quod retinet Peshito) ab Hieronymo vertitur: *superbae* quo vocabulo sublimes et exquisitissimas opes dicit: cf. עתיק Isa. XXIII, 18. عتيق Freytag. lex. ar. III. p. 104. Aquila: μετ' εἰρήνης ad quod Gesenius in thesauro s. v.: *cf. arab.* عتق *recte se habuerunt opes gregesque,* عتق *bona constitutio opum gregumque, pr. incolumitas.* Targum et arabs עתק sine dubio (veri simile autem est omnes versiones ita fecisse) pro substantivo habuerunt; ille enim ad ממונא addit וּמְלָלָא *et plenitudo*, arabs: الفوائد للكثيرين *utilitatum multarum.* Ac targum quidem sequendum esse iudicamus. Ad multitudinis notionem conferas apud

Kamusum: غَدَقٌ proventu abundans, أَغْدَقَ proventu abundavit. Est vero secundum masoretharum artem scribendum עָתֵק quod quidem nomen alio loco non occurrit. (Quanquam secundum antiquam scriptionem facillima sit permutatio, superfluum tamen videtur scribere עָתֵר *abundantia* quod in oppidi nomine extat). Idem legerunt *Ο'* qui vertunt κτῆσις *πολλῶν* (temere enim Semlerus in epist. ad Griesb. p. 24. de πολλῶν: *ita* ait *corruptum fuit ante Origenem in κοινη sed inde a LXX ipsis fuerat παλαια; similes litterae Λ et Λ mutarunt*) quo vocabulo genus neutrum significare voluisse videntur ut intellegit etiam Syr. Hexapl. ܕܣܓܝܐܐ. Uti vero graeca illa verba possunt etiam significare possessionem quam multi tenent, ita eadem inest ambiguitas vocabulo Hebraico; nam opes multitudinis quibus opes multas indicare voluit, possit etiam aliquis interpretari de opibus quas multitudo quaedam hominum possidet. Atque ita quidem illa περιοχὴ τοῦ λαοῦ nata est. *Περιοχὴ* vero h. l. non significat praesidium vel munitionem quod etiam Epiphanius censuit haer. 78: *ὠβλίαν αὐτὸν τὸ πλῆθος διὰ τὸ τῆς ἀρετῆς μέγεθος καὶ τὴν πρὸς τὸ θεῖον παῤῥησίαν τουτέστι περιοχὴν καὶ σκέπην τοῦ λαοῦ κατωνόμαζον.* Est potius idem quod הון. Nam quam late περιοχῆς vocabulum pateat iam supra p. 4. exposui, atque aliae significationes ad supra allatas adiici possunt ut *περιπέτεια*, *θλῖψις* et Ezech. XII, 13. XVII, 20. ed. quinta ψ. LXV, 11: *ἀμφίβληστρον* cet. Cf. Stephani thesaurum et lexica ad *Ο'*, ad libr. apocr., ad N. T. Ubi exemplum quidem ullum deest eius significatus quem loco nostro ponimus, at desunt alii quoque quos auctoritatibus allatis comprobare licet. Ita Philo II, 488 ait: *λέγεται τοίνυν ὁ κόσμος καθ᾽ ἓν μὲν πρῶτον σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἄστρων κατὰ περιοχὴν γῆς καὶ τῶν ἐπ᾽ αὐτῆς ζώων καὶ φυτῶν. Καθ᾽ ἕτερον δὲ μόνος οὐρανὸς κτλ.* Ubi si adhuc dubium videri possit quid sibi voluerit verbis *κατὰ περιοχὴν*, legas quae mox sequuntur: *νῦν δέ ἐστιν ἡ σκέψις περὶ τοῦ κόσμου τοῦ κατὰ τὸ πρῶτον σημαινόμενον ὅς ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ἐξ ὧν συνέστηκε.* Valet igitur illud: non excepta terra sed simul comprehensa. Generalissimam vero vocabuli notionem probo ex Philone qui in *ἐρωτ. εἰς ἐξοδ.* Armen. p. 541. series quasdam enarrans sicut *ἕξις ἑκτὸν ἔχειν, ὅρασις ὁρατὸν ὁρᾶν, ἀκοὴ ἀκουστὸν ἀκούειν,*

ἐπιστήμη ἐπιστητὸν ἐπίστασθαι cet., pari ratione ante περιεκτὸν περιέχειν (quo vocabulo proprie ac saepissime dei relationem ad mundum dicit) nihil aliud scripsisse censendus est quam περιοχή. Porro enotatum nondum video usum verbi περιέχειν qui in Clementinarum homiliarum (tempore Hegesippi scriptarum) ultima parte ante aliquot menses a Dresselo edita occurrit. XIX, 18: καὶ ὅσα τοιαῦτα τυγχάνει τοῦτον περιέχει τὸν τρόπον. et c. 23: καὶ τὰ ἑξῆς τοῦτον περιέχει τὸν λόγον. cum ita fere expectes: τὸ περὶ τὰ ἑξῆς τοῦτον ἔχει τὸν λόγον. Antehac enim dictio illa de solis epistulis usurpata esse visa est. 1 Macc. XV, 2: [αἱ ἐπιστολαὶ] ἦσαν περιέχουσαι τὸν τρόπον τοῦτον. 2 Macc. XI, 16: ἦσαν αἱ ἐπιστολαὶ περιέχουσαι τὸν τρόπον τοῦτον. Item 2 Macc. IX, 18: ἐπιστολὴν περιέχουσαν οὕτως. XI, 22: ἡ ἐπιστολὴ περιεῖχεν οὕτως. In n. t. similiter act. XXIII, 25: ἐπιστολὴν περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον. Apud Josephum A. XII, 4, 11 et XIV, 10, 11: ἡ ἐπιστολὴ τοῦτον περιεῖχε τὸν τρόπον. XIII, 4, 9: ἐπιστολὰς αἳ περιεῖχον τὸν τρόπον τοῦτον. (Dindorfus in Stephani thesauro solos Josephi locos affert). Iam vero in sententiis illis quas ex homiliis Clementinis excripsi non de epistulis sed de rebus quibuslibet sermo iniicitur. Quae cum ita sint nihil repugnat quominus licet exemplis destituti vocabulum περιοχῆς ad opes quoque collectas et coacervatas significandum adhibitum fuisse censeamus. Respondet igitur accuratissime περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη verbis illis: הון עחק וצרקה quare in Eusebii exemplo post ἐκαλεῖτο ex litterarum appellatione tunc temporis usitata reponendum est: ων αθακ ουσαδακα. Recte vero cum idem mendum apud Rufinum Epiphaniumque deprehendatur, scripturam vulgatam non ab Eusebii librariis ortam esse opinatur Strothius sed ab Hegesippi, temere tamen addit: oder von diesem selbst. Quem potius quippe ex Judaeis Christianum factum melius in lingua Hebraica versatum videmus (Cf. Euseb. h. e. IV, 22). Cum vero mendum illud natum esse videatur ante Eusebium, haud sperare licet rem decisum iri ex collatione versionis syriacae libri huius Eusebiani quae manu scripta in museo Britannico asservatur. Scriptio vulgata vero vel imprudentia scribae unius vel potius plurium librariorum sive exceptorum incuria et ignorantia ita extitit ut in vocabulo ουσαδακα aliquis sibi videretur invenisse nomen δίκαιος. (Cum in ipsa explicatione iterum ponatur δι-

καιοσότη iure a Fullero l. l. reprehenditur *inanis unius et eiusdem vocabuli repetitio*). Quod ideo anteposuit ut relicua obscura illa *ων αθακ* statim ad explicationem sequentem referrentur. Quod vero ad haec attinet, si quis semel pro *ϑ*, ut fit (Breiting. *O'*. III. proleg. p. 11. 12), sonu simile *τ* posuerit, quemadmodum postea alii similiter seducti pro *Ωβλιας* quae scriptura auctoritate Eusebii ceteris antiquiore defenditur, scripserunt *Oβλιας* (Pachymeres in Dionys. Areop. de hier. eccl. c. VII. p. 370: *Ioβλιας*), et ut vocabulum more graeco caderet, *κ* in *ς* mutaverit: in ceteris accuratius comparatis *ΩΝΑΤΑΚ* / *ΩΒΛΙΑΣ* animadvertes quam facile ex scriptura, quae cum proba tantum non concinuit, illa quam legimus in exemplaribus nostris existere potuerit. Exempla commutationis litterarum *Λ* et *Α*, *Σ* et *Κ* habes in Canteri de ratione emendandi Graecos auctores syntagmate. ed. alt. Sturz. sub calc. Hellanici p. 22. 28. 29. — Quod spectat ad universam rationem qua ex verbis illis Jacobo cognomentum quoddam adiecerunt, restat ut memineris fuisse morem Judaeorum quo verba sacri codicis ac praesertim quidem intellectu subobscura in usum communem vertereut liberrimum. Ita ipse Hegesippus in eadem narratione de iis qui Jacobum interficere moliebantur et revera eum interfecerunt, ait: *καὶ ἐπλήρωσαν τὴν γραφὴν τὴν ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ γεγραμμένην· ἄρωμεν τὸν δίκαιον ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι· τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται* — quod legitur in versione Alexandrina III, 10 quae tamen pro *ἄρωμεν* habet *δήσωμεν* quod iterum licentius ille ad propositum mutavit. Exempla ex novi testamenti scriptis afferre non attinet. Pari modo si cui cum Hegesippus dicat *ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ* (licet revera prophetae tanquam collegium quoddam allegentur quorum quisque patrocinium cuiusque suscipit) videantur plura quaerenda esse in scriptis propheticis eloquia, perbene ad Dan. VIII, 12 praeter Salomonium illud remittere eum possumus ubi *O'* (et Theod.): *καὶ ἐρρίφη χαμαὶ ἡ δικαιοσύνη* quod ad mortem Jocobi qui iustitia appellabatur accommodare licuit. Itaque Jacobus simili quadam ratione penus populi sui iustitiaque vocatus est qua Titus aequalis eius *amor ac deliciae generis humani.*

Martyrem vero Jacobum iustum cuius mors ut ex rerum explicatione nostra apparet sub equite quarto accidit, non praetervectus est Joannes. Ipsam quidem necem illius non directe affert, agit enim de Judaeorum paenis, sed ex illo facinore culpam castigationemque eorum crevisse significavit. Videamus enim quae prodeunt aperto sigillo quinto. *Εἶδον* inquit *ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν ἣν εἶχον κτλ.* Tertull. de resurr. carn. XXV: *martyrum animae sub altari ultionem et iudicium flagitantes.* Cf. de anima VIII. IX. de orat. V. Scorp. XII. Quod Alcasar (qui perperam quattuor animalia de apostolis et episcopis, seniores de sacerdotibus, quattuor equites de fide audacia egestate morte explicaverat) optime intellegit de martyribus christianis per Judaeos interfectis. Grotius ad v. 10: *i. e. κρίνων ἐκδικεῖς nostrum sanguinem, puta Stephani, Jacobi Zebedaidae qui huius Johannis frater et aliorum quorum nomina nos latent.* Wetstenus ad eundem v.: *accusatio Judaeorum qui discipulos Christi vexaverant* descripto ex Josepho loco de morte Jacobi iusti. Consentit fere Harenbergus p. 268. Herderus: Lagen nicht da schon Stephanus, Jacobus, jener andere Jakobus dessen Tod Josephus selbst so theilnehmend beschreibt und wie viel andere mit ihnen als Opfer an der heiligen Stätte! Heinrichs contra vatem censuit respexisse ad Judaeorum et Christianorum gregem qui exardescente belli flamma Caesareae Scythopoli cet. iugulati erant. Calovio vero quaerenti: *cur intelligendi solum vel Judaici martyres vel occisi a Judaeis Christiani?* respondendum est: quia iam agitur de puniendis Judaeis ob peccata eorum quorum sane mors martyrum Christianorum non erat levissimum sed vel maxime valebat ad paenas illorum exacuendas. Inde quod animae eorum sub altari sunt cernitur eos sacrificii instar mactatos esse Lev. IV, 7. XVII, 11. Apud eundem Joannem ait Jesus evang. XVI, 2: *ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς· ἀλλ' ἔρχεται ὥρα ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ* — putabunt Judaei se Christianis interficiendis gratum deo sacrificum offerre. Cf. Sauli rabiem contra Christianos et Pauli verba 1 Co. IV, 13. Est apud rabbinos: quisquis effundit sanguinem impii, facit ac si sacrificium offerat. *Ἕως πότε* quod martyres clamant, et est illud *quousque tandem* indignationis iustae contra impios et illud עד מתי pii desiderii.

Cf. Henoch. XLVII, 2. Sed expectare iubentur. Sibyll. VIII, 14: ὀψὲ θεοῦ μύλοι ἀλέουσι τὸ λεπτὸν ἄλευρον. Finis igitur nondum decernitur, at initium finis; atque opportune ante hunc actum voces martyrum qui inde a dominio secundi equitis mortem perpessi sunt (Stephanus anno 39 ant 40, Joannis frater anno 44, Jacobus iustus anno 62) vindictam exposcentes congregantur.

De iis qua iam apparent resignato sigillo sexto, Aretas ait (ad v. 12): *Τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὴν ὑπὸ Οὐεσπασιανοῦ γενομένην πολιορκίαν ἐξέλαβον πάντα τὰ εἰρημένα τροπολογήσαντες.* Etiam ad v. 15 ibi affertur tempus Titi et Vespasiani. Cf. porro totum scholion sub titulo *Ἄλλως* et breviter apud Oecumenium: *Ὁ κύριος ἡμῶν τοῖς ἀποστόλοις ἐρωτῶσι περὶ τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις ναοῦ καταστροφῆς καὶ συντελείας καθὼς ἠδύναντο χωρεῖν προεῖπε τὰ μέλλοντα ἅπερ καὶ ἤδη μὲν ἐν τῇ πολιορκίᾳ ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ καὶ Τίτου τοῖς χριστοκτόνοις Ἰουδαίοις συμβέβηκεν.* Forerius qui ad Isa. XXXIV, 4 optime dixit: *caput sextum apocalypseos vastationem Judaeae quae coepit fieri a morte domini, per incrementa narrat* (equites secundum tertium quartum de bello fame peste intellegit quibus deus Judaeos punierit), ita pergit: *quousque in sexto sigillo i. e. sexta annorum hebdomada post occisum dominum extremam devastationem commemorat;* in quibus tamen et pravam sequitur rationem computandi tempora Danielica et perperam h. l. iam ultimum reipublicae exitium narratum esse opinatur. Latius Ambros. et Rupert. de portentis in excidio Jerusalemi et supplicio Judaeorum. Optime Alcasar de seriis comminationibus severam punitionem antecedentibus; cf. Joel. III, 4. Bene Grotius quoque sextum sigillum complecti censet *praesagia quae bellum inter Judaeos et Romanos praecessere.* Jam vero, ut ad singula descendamus, de terrae motu Aretas ait: *σεισμὸν εἰωθυίας τῆς γραφῆς καλεῖν τὴν τῶν πραγμάτων μετάβασιν ὥσπερ τὸ Ἔτι ἅπαξ σείσω* [Agg. II, 6]. *Δηλοῖ γὰρ τὴν τῶν σαλευομένων μετάθεσιν ὡς ὁ θεῖός φησι Παῦλος* [Hebr. XII, 26. 27]. *Καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ ἡ ἀπ' Αἰγύπτου τῶν Ἰσραηλιτῶν ἔξοδος σεισμὸς εἴρηται καθὼς καὶ Δαβὶδ φησι Γῆ ἐσείσθη καί γὰρ οἱ οὐρανοὶ ἔσταξαν* [ψ. LXVIII, 9]. Alcasar igitur (461) terrae motu recte censet significari *magnam rerum commutationem ac perturbationem quae Jerosolymis accidit praesertim cum a Romanis defecerunt et in ipsos conspirarunt. Quae*

nova rerum facies Judaico populo terribile bellum et miserrimas calamitates minabatur. De *σεισμοῖς κατὰ τόπους* cf. Grotium ad Mt. 24, 7. Lu. 21, 10. Cf. etiam *ὀνειροκριτικὰ* Nicephori: *σεισμὸς ταραχῆς ἄγγελος πᾶσι πέλει* et Achmetis c. 143: *ἐάν τις ἴδῃ καὶ ὄναρ ὅτι ἐν τόπῳ τινὶ ἐγεγόνει σεισμὸς, τοῦτο νεὸν διάταγμα παρὰ τοῦ βασιλέως σημαίνει θροοῦν καὶ σεῖον τοὺς κατοικοῦντας.* Hoc vero loco est ea perturbatio in rebus omnibus humanis quae iam speciatim enarratur. — Sane vero difficilis est quaestio de sole et luna et stellis. Alcasar de solis obscuratione: *symbolum est* ait *signorum ac prodigiorum* ad quae confert Jos. B. c. 12; de lunae sanguine: *maximum supplicium quod eis pro innocentissimo Christi sanguine effuso impendebat.* Sol *claritas dei*, luna *humanitas Christi.* Deum sententiam laturum quasi lugubri indui veste. Sanguis lunae Christi passio: *credibile est permultis non semel obversatum fuisse ante oculos caelum sibi forte iratum et indignanti simile apparere ob Christi mortem et crudelissimum bellum quod Christo in ipsius discipulis faciebant.* Nam stellarum casus *indicat symbolice necem quam Jacobo apostolo, Stephano aliisque viris sanctissimis attulerunt quod etiam Judaeis minitabatur ruinam.* Postea cum sol deus, luna Christus, *rerum* ait *exigit consecutio ut stellarum nomen ad Christi discipulos referatur* (461. 462). Grotius affert solem quarta diametri parte quinto anno Claudii defecisse, septimo eiusdem Caesaris lunam. Wetstenus Josephi locum B. VI, 5, 3. de prodigiis illis enotat. Harenb. p. 269. sq. fumum incendiorum belli Judaici interponit. Parum distincte Herderus: Wer Josephum liest wird diese Ahndung des kommenden Endes über Judaea deutlich ausgedrückt fühlen. Nicht bloss die drohenden Zeichen am Himmel die er anführt [B. VI, 31. VII, 31], nicht nur die Wehstimmen die um Tempel und Stadt riefen; der Zustand des Landes selbst hatte, in der Sprache der Propheten, genug von einer wankenden Welt um Ausgang ahnen zu lassen. Das Ansehen der Obrigkeiten verdunkelt [sol obscuratus?], ein schindender Landpfleger nach dem andern und der zweite immer ärger als der erste. Geld- und blutdürstig [luna sanguinea?] verachteten hassten zerrten sie die Juden wie Hunde; diese, nicht wissend was zu thun sey, raseten schmeichelten bissen krochen — [stellae cadentes?]. Sed inter signa quae illi ex Josepho citant, nec de solis obscuratione nec de lunae sanguine

nec de stellis cadentibus sermo fit. Defectiones vero solis et lunae sub Claudio factae nihil ad rem faciunt, agitur enim de tempore Neronis. Ad posterius contra tempus attinet lunae defectio quae anno fatali Vitellii (69) accidit (ex qua tamen notes lunam tunc *αἱματώδη* quoque fuisse secundum Dionem LXV, 11). Porro licentius confictum esse videatur quod luna humanam Christi naturam significet. Iure tamen Alcasar interpretationem allegoricam secutus est. At vero neque Innocentii dicto illo, solem esse hierarchiam, lunam imperium mundanum, uti possumus ad hunc locum explicandum; nec probandi sunt qui sub sole politicam, sub luna ecclesiasticam oeconomiam intellexerunt. Etenim contra secundam sententiam dicendum est, omnino rempublicam non esse lumen maius lumine ecclesiae; tenendum est scilicet solem esse lumen magnum, lunam lumen parvum (Gen. 1). Si vero in priorem illam sententiam licet per se ingeniosam h. l. iremus, ex alia quadam parte neglegeremus artificiosam allegoriae commissuram. Sunt enim et sol et luna in caelo positi. Caelum vero est ecclesia, primum veteris testamenti, dein post Christum novi: erat enim Christiana ecclesia Judaicae vero solaque continuatio. Cum Christus veniret, non appropinquavit caelum — in eo enim pii Israelitae iam vixerunt — sed caelorum regnum regna cetera omnia destructurum. Antea enim quattuor bestiae Danielicae orbem regnaverant, iam *deus caeli fundavit regnum quod in aeternum non dissipabitur et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum.* Dan. II, 44. Et. VII, 13. 14. filius hominis accipit hoc regnum inexpugnabile. Hic est ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Hinc illa *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* saepius apud Matthaeum repetita. Philo II, 486 de therapeutis: *οὐρανοῦ μὲν καὶ κόσμου πολιτῶν.* Christianorum *municipatus*, ut Tertull. adv. Marc. III, 24 vertit, in caelis est. Eph. I, 6: *συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.* Alcasar 548: *in apocalypsi primitivam ecclesiam appellari caelum quia primaevi Christiani cor seu mentem in caelo habebant defixam.* Cum vero Jesus ipse a regno suo procul abesse dixerit potentiam mundanam, luna quae et ipsa in caelo h. e. ecclesia constituta est, non potest significare rem publicam civilem. Nos igitur ad locum de quo quaeritur explicandum, solem et lunam dicimus esse lumina illa duo magna in caelo ecclesiae Judaicae posita: legem et prophe-

tiam. Vel potius prophetiam et legem, nam prophetia maiori luminari comparatur, lex minori quod ab illo lucem accipit sicut prophetia erat ante legem: Abraham enim ipse propheta erat (Gen. XX, 7) et a summo quodam propheta data est lex. Soli prophetia comparatur in Clement. hom. II, 6: *τοῦτο γὰρ προφήτου ἴδιον τὸ τὴν ἀλήθειαν μηνύειν ὥσπερ ἡλίου ἴδιον τὸ τὴν ἡμέραν φέρειν.* Porro Sibyll. V, 238 sq.: *Ἦν ποτ᾽ ἐν ἀνθρώποις λαμπρὸν σέλας ἠελίοιο Σπειρομένης ἀκτῖνος ὁμοσπόνδοιο προφητῶν ... Φαίνετο καὶ προὔβαινε καὶ ἡμέρα πᾶσιν ἔτελλε.* Lunam ad legem refert Aretas ad XII, 1: ... *καὶ τὸ νομικὸν φῶς τῆς νυκτοφαοῦς σελήνης· ταύτῃ γὰρ ὁ νόμος ἀπείκασται ὡς ὑπὸ σκότῳ τῆς θεοσεβείας τὴν περίγειον πᾶσαν κατέχοντι, ἀμυδρὰν αὐγήν, λάμψιν λέγω θεογνωσίας παρασχούσῃ· καὶ δή γε καὶ ὡς ἀλλοιουμένη κοσμικῇ ζωῇ ὑπὸ τοὺς πόδας τῆς ἐκκλησίας λέλογχε.* Cuius tamen rationes hic non defenderim. *ψ.* CIV, 19: עשה ירח למועדים. Sir. XLIII, 7: *ἀπὸ σελήνης σημεῖον ἑορτῆς* sc. *τοῦ πάσχα.* Quae sollennia cum fuerint prima quae per anni cursum celebrabantur, ad quae igitur ceteri dies festi putabantur omnes, aptissime totius oeconomiae legalis symbolum luna esse videtur. (Videsis etiam Thosaftha sucha II, 7. Ugol. thes. XVIII. p. 379). Porro observes in caelesti Jerusalemo nec solem nec lunam adesse XXI, 23: prophetiae enim omnes etiam evenerunt. Nigrescit vero sol h. e. lugubria prophetantur, luna vero cruore manat quia cladem accipit oeconomia legis. Stellae caeli sunt Judaei. Antea multitudo Israelitarum innumerabili stellarum multitudini comparabatur Gen. XV, 5. XXII, 17. XXVI, 4. Exod. XXXII, 13. Deuteron. XXVIII, 62. Postea in lingua allegorica Israelitae stellae appellantur Dan. VIII, 10. cf. XII, 3 ubi non de solis doctoribus Judaicis agitur sed de populo Israel qui gentes ad iustitiam ducit. Porro Henoch. XLIII. XLVI, 7. CIV, 2. ap. Dillmann. Quare Messias ex Israele venturus stella Nu. XXIV, 17. Aretas: *τὸ δὲ πεσεῖν τοὺς ἀστέρας* [add. Oecum.: *καθὼς καὶ ἤδη περὶ τῶν ὑπὸ Ἀντιόχου πατηθέντων* (ita emenda) *γέγραπται* (Dan. VIII, 10)] *τὸ καὶ τοὺς δοκοῦντας εἶναι φωστῆρας ἐν κόσμῳ* [Phil. II, 15] *πίπτειν ὡς τοῖς γινομένοις ὀκλάζοντας· ὡς καὶ ὁ κύριός φησι πλανηθῆναι εἰ δυνατὸν καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς τῷ ὑπερτείνοντι νικωμένους τῆς θλίψεως.* Clem. hom. XX, 9: *αἱ δὲ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ φωτὸς καθαροῦ σταγόνες οὖσαι.* Iam vero ex caelo decidunt in terram h. e. ex vera ecclesia quae post Christi

adventum ex solis Christianis constat deficiunt ad pravum Judaismum qui terra significatur. Prorsus eodem sermone allegorico Christus uti videtur Mt. XXIV, 29.

Deiiciuntur vero ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς (*acerba sua* Tertull. adv. Herm. 34.) ὑπὸ ἀνέμου μεγάλου σειομένη. Ubi Aretas: Διὸ καὶ τῇ συκῇ ὑπὸ ἀνέμου ῥιπιζομένῃ παραβάλλονται οὗτοι [sc. οἱ τῷ ὑπερισείνοντι νικώμενοι τῆς θλίψεως quem locum qui ibi nulla re interposita antecedit modo attuli], τοὺς ὀλύνθους ἤτοι τοὺς ἀτελεῖς καρπούς, οἷς οἱ μήπω τῷ χρόνῳ πεπανθέντες τῇ πίστει καὶ γλυκανθέντες τῇ χάριτι ἀπεικάσθησαν, ταῖς ὑπὸ τοῦ διαβόλου βιαίοις ἀντιπνοίαις, τῶν πειρασμῶν δηλονότι ταῖς ἀγρίαις προσβολαῖς, θορυβηθέντας κατασεισάσῃ. Οἶδεν γὰρ ἡ γραφὴ τὰ σῦκα λαμβάνειν τῷ ἐπαμφοτερίζοντι τοῦ σημαινομένου ἐπί τε χρηστοῦ καὶ τοῦ ἀπεναντίας· ὡς ἐπί τῶν δύο καλάθων τῶν τῷ Ἰερεμίᾳ φανέντων χρηστῶν ὁμοῦ καὶ πονηρῶν συκοφορίας καὶ τῆς ξηρανθείσης συκῆς καὶ τῆς ἐν τοῖς ᾄσμασι φερομένης.*) Apud Jeremiam c. XXIV. ficus sunt Judaei partim iusti partim impii. Cum praecoces ficus maxime delicatae sint (Isa. XXVIII, 4.), aptissime piis comparantur Mich. VII, 1. 2. ubi verba: *praecoquas ficus desideravit anima mea* sunt quasi clavis actionis Christi Mt. XXI, 19 sq. Patres in deserto comparantur ficis praecocibus arboris qui est universus populus Os. IX, 10. cf. Cant. II, 13. Praeterea ficus Israel Mt. XXIV, 32. Marc. XI, 13. 14. 20 sq. XIII, 28. Lu. XIII, 6 sq. XXI, 29 sq. Item Lu. XVII, 6 ubi Christus Judaismum συκαμίνῳ ficui Aegyptiae comparat non sine quadam acerbitate; nam de fructu eius Strabo XVII. p. 1178: ἄτιμον δ' ἐστὶ κατὰ γεῦσιν cf. Am. VII, 14. — sic Judaei desipidi facti. Erat arbor creberrima I rg. X, 27 cum parall. Etiam Isa. IX, 9 cedro generosiori arbori opponitur. (Mare illo Lucae loco gentes in quibus Judaismus transpositus ad bonam frugem sese recepturus erat). Sibyll. I, 291 sq.: ἔσται πολυποίκιλον ἄνθος Ἐν συκῇ. (Flos est נֵצֶר Isa. XI, 1.

---

*) Ita fortasse emendanda est haec propositio quae apud Cramerum sic habet: διὸ καὶ ἡ συκῇ ὑπὸ ἀνέμου ῥιπιζομένη παραβάλλονται οὗτοι τοὺς ὀλύνθους ἤτοι τοὺς ἀτελεῖς καρπούς, οἷς οἱ μήπω τῷ χρόνῳ πεπανθέντες τῇ πίστει, καὶ γλυκανθέντες τῇ χάριτι ἀπεικάσθησαν ταῖς ὑπὸ διαβόλου βιαίοις ἀντιπνοίαις . τῶν πειρασμῶν δηλονότι ταῖς ἀγρίαις προσβολαῖς θορυβηθέντες κατεσείσθησαν. οἶδεν κτλ. In ultimis addidi καὶ post συκῆς ex Oecumenio ubi: τῆς ξηρανθείσης ὑπὸ Χριστοῦ καὶ τῆς φερομένης ἐν τῷ ᾄσματι quod item fortasse melius quam τοῖς ᾄσμασι.

quod O' vertunt ἄνθος. Augustinus epist. XVII ad Marcellum: *ibimus ad Nazareth et iuxta interpretationem nominis eius videbimus florem Galilaeae.*) ערובין Fol. 54, 1. 2. ficus prov. XXVII, 18 ad legem refertur. Nostro vero loco ficus maturae postquam perceptae sunt, grossi decutiuntur vento h. e. ecclesia ex probis Israelitis fundata pravi Judaei perduntur.

Sequitur καὶ ὁ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον ἑλισσόμενον. Quod cum antegressis respicit quodammodo ad Isaiam XXXIV, 4: *et tabescit omnis militia caelorum et complicantur sicut liber caeli et omnis militia eorum defluit sicut defluit folium de vinea et de ficu.* Aretas: complicatione significari μὴ ἀφανισμὸν τέλεον τὸ οὐράνιον ὑφίστασθαι σῶμα ut etiam Irenaeus ψευδ. γν. l. V. dicat: οὐ γὰρ ἡ ὑπόστασις οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως ἀφανισθήσεται et mox: ἀλλὰ τὸ σχῆμα παράγει τοῦ κόσμου τούτου [I Co. VII, 31.] ἐν οἷς καὶ ἡ παράβασις ἐγένετο. διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ Ἀνακαινιεῖς τὸ πρόσωπον τῆς γῆς [ψ. CIV, 30.] ἀλλ' οὐκ ἀλλάξεις. Est vero eventus eorum quae Christus praedixerat Mt. XXIV, 29: αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται — virtutes quae adhuc ecclesiam dum erat Judaica regebant iamiam cum ecclesia christiana fiat excipiuntur δυνάμεσι μέλλοντος αἰῶνος Hebr. VI, 5. Christiani dicere possunt cum psalmis Salom. VIII. v. 39: κύριε σώτηρ ἡμῶν οὐ σαλευθησώμεθα ἔτι τὸν αἰῶνα χρόνον. XV, 6: ὁ ποιῶν ταῦτα οὐ σαλευθήσεται εἰς τὸν αἰῶνα ἀπὸ κακοῦ. Nostro loco caelum i. e. ecclesia a loco suo quem adhuc tenebat demovetur sicut liber qui convolvitur (scriptum enim est praesens verbi tempus), iam enim codex veteris testamenti complicatus et caelum a Judaeis semotum atque extensum est super Christianos. Licet enim Jesus Christus hoc iam fecerit quod ad principium novum attinet quo discipulos suos instruxit, tamen reapse non effectum nec revelatum est antequam ultimum contra Judaeos iudicium irruit. Tunc enim ut aptius postea explicabitur, lex a Christianis Judaeis cessavit observari. Complicatio caeli apud Joannem secundum Alcasarem *symbolum est Christianorum discessionis ab urbe Jerosolyma quae non levis fuit etiam civitati comminatio.* Confert act. VIII, 1. (462. 463). Illa tamen dispersio Christianorum longe ante hoc tempus facta est. Neque significat Christianorum post necem Jacobi iusti factam secessionem ex Judaea — quod aliquis putare possit —; sed Judaeorum ex caelo reiectionem quam modo sub imagine

cadentium stellarum depinxerat, iam ex altera parte describit ut caeli a Judaeis detractionem.

De migratione ac secessione montium et insularum Alcasar ait: *deum Romanis obices atque impedimenta de medio tollere et difficultates quaslibet complanare quo Judaeorum supplicium tandem sortiretur effectum.* Wetstenus: *montes et insulae terrae motibus quatiuntur proprie: mystice intelliguntur motus in republica Judaica.* Sed accuratius definiendum. Oecumenius: *οἱ κατ' ἐξοχὴν εἴτε ἐκκλησιαστικῆς συντάξεως εἴτε κοσμικῆς δυναστείας ὑπάρχοντες ὄρη τροπικῶς ὀνομαζόμενοι, αἵ τε τῶν πιστῶν ἐκκλησίαι μεταφορικῶς νῆσοι καλούμεναι ἐκ τῶν τόπων αὐτῶν φεύξονται.* Et ad XVI, 20: *νήσους τὰς ἐκκλησίας καὶ ὄρη τοὺς ἐν αὐταῖς προύχοντας νοεῖν ἀκόλουθον.* Iam Theophilus ad Autol. II. insulis ecclesias comparavit. Attamen de rebus Judaicis sermo fit. Nec possunt montes esse principes reipublicae, alias enim idem diceretur v. 15 sq. et principes non possent sese abscondere in montibus. Quare cum montes saepe regna sint (Jer. XVII, 3. LI, 25. Zach. IV, 7. ψ. XLVI, 4, cf. 7. LXV, 7. LXVIII, 17. LXXVI, 5. Mt. XVII, 20. Lu. XVII, 6.), h. l. multitudinem quandam hominum una viventium significatam esse censeam, praesertim urbes ut montes in terra non faciles superatu hostiumque impetui resistentes. Tale quid Wetstenus sibi voluisse videtur qui affert Jos. B. II, 16, 2: *παρελθοῦσιν εἰς τὴν πόλιν τήν τε ἀγορὰν ἠρημωμένην ὑπεδείκνυσαν καὶ πεπορθημένας τὰς οἰκίας.* *Νῆσοι* vero (quas Wetstenus videtur accepisse de domibus singulis) ut apud *Ο'* sunt regiones omnino habitatae (cf. Gesen. thes. s. v. אִי et Schleusneri lex. in N. T. s. v.); itaque montibus h. l. opponuntur ut urbibus rus cum oppidis non munitis. Itaque delabuntur et urbium praesidia et refugia provinciarum.

Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς (recte Alcasar 465: *summos reipublicae gubernatores* esse ait collato Isa. XXIV, 22 ubi vide Forerum. Josephus B. II, 12, 8. Lysaniae toparchiam Abilenam cf. Lu. III, 1. vocat *βασιλείαν*) *καὶ οἱ μεγιστᾶνες* (magnates munere civili fungentes) *καὶ οἱ χιλίαρχοι* (militum duces) *καὶ οἱ πλούσιοι καὶ οἱ ἰσχυροὶ* (homines privati nobiles aut divitiis aut auctoritate) *καὶ πᾶς δοῦλος καὶ ἐλεύθερος* (quisquis vir privatus sive liber seu servus. Ad partitionem omnem cf. Ewald. et Züllig.) *ἔκρυψαν ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια καὶ εἰς τὰς πέτρας τῶν*

ὀρέων — in aedificia et munitiones urbium. *Καὶ λέγουσι τοῖς ὄρεσι καὶ ταῖς πέτραις· πέσετε ἐφ᾽ ἡμᾶς καὶ κρύψατε ἡμᾶς* (Os. X, 8. Lu. XXIII, 30.) *ἀπὸ προσώπου τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου* — non occidi desiderant sed occultari et protegi ut Isa. II, 10. 19. 21. Non deesse potuerunt inter Judaeos ii quibus dei iudicia subeuntibus oculi tanquam mentis aperirentur ut plus minusve perspicerent quantum populus crucifigendo salvatorem nefandum scelus commisisset cui poena non posset deesse: *ὅτι ἦλθεν ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς αὐτοῦ καὶ τίς δύναται σταθῆναι*; — Nah. 1, 6. Lu. XXI, 26. 36. Alcasar ad v. 15—17: *timorem ingentem qui Judaicum populum pervaserat argumento esse evidenti severissimam dei et Christi domini indignationem sese in eos iam immittere velle* (462). Porro (465): *Quemadmodum Abelis sanguis clamasse dicitur non quia formaliter (ut ita dicam) clamaret sed quia res ipsa clamare videbatur: sic etiam significanter consideratur magnum illum Judaeorum metum confiteri quantopere Christi iram timerent, non quod illi expresse crederent aut faterentur Christi iram sibi esse extimescendam sed quia res ipsa manifesto indicabat timorem illum vehementem inde fuisse ortum quod ipsi Christum dominum in crucem substulissent.* Herderus post locum quem ultimo excripsimus pergit: — es war die unwillige Verzweiflung die zuletzt wenn sie nicht gehört wird und nirgend Schutz und Ausgang siehet zu fallenden Bergen und Felsen fliehet. Et paullo post: Auch warens wie hier das Gesicht sagt, am meisten die Grossen und Edeln die Florus plünderte geisselte kreuzigte quälte. Heinrichs non admodum se dissentire profitetur ab iis qui imagines sexti sigilli tempus futurum indicantes idcirco selectas a poeta velint quia similia iam in Judaea accidisse aut credita fuisse fama compererit. Jos. B. VI, 5, 3. 7, 31. et de vexationibus procerum confert l. II. c. 14. 15. sq. Sed v. 15. vates ei videtur maxime Romanis ut qui Judaeo homini prae omnibus invisi fuerint, exitium augurari. Hoc vero tota rerum *ἀκολουθίᾳ* refellitur; tantum porro abest Joannes ut proceres solos vexatos esse narret ut disertissime potius omnes quoscunque timore correptos fuisse enumeraverit.

C. VII. v. 1. terra Judaeos significat, mare gentiles ut bene Alcasar vidit. Qua de re cum liber singularis conscribi possit, h. l. sufficiat de mari referre ad XVII, 15: *τὰ ὕδατα ἃ εἶδες οὗ ἡ πόρνη κάθηται, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶν καὶ ἔθνη καὶ*

γλῶσσαι. Gentium infidelium multitudini et turbinibus apte opponitur stabilitas ac firmitudo terrae sanctae quae proprie terrae nomine appellatur (e. g. saepius Isa. XXIV.); simul vero postquam Christum respuerant animus etiam terrestris Judeorum ita indicatur. Nec scio cur dubitanter Alcasar dixerit de quattuor angulis terrae: *forsan intelligendum est de quattuor Judaeae angulis nam de eius eversione agitur* (469.). Cf. Zach. IX, 10. ψ. LXXII, 8. Isa. XXVI, 15. Angeli sunt angeli ventorum quos retinent (Psalmi Salom. VIII. v. 2: *φωνὴ λαοῦ πολλοῦ ὡς ἀνέμου πολλοῦ σφόδρα*); similiter Dan. VII, 2, ארבע רוחי שמיא (cf. VIII, 8. Jer. XLIX, 36. Zach. II, 10. VI, 5.) Hieronymus bene explicat per *potestates angelicas.* Memineris quattuor annis ante bellum, anno igitur 62 cuius in paschate Jacobus iustus interfectus erat, festo tabernaculorum Jesum quendam Anani filium virum plebeium et rusticum repente exclamavisse: *φωνὴ ἀπ᾽ ἀνατολῆς, φωνὴ ἀπὸ δύσεως, φωνὴ ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, φωνὴ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα καὶ τὸν ναόν, φωνὴ ἐπὶ νυμφίους καὶ νύμφας, φωνὴ ἐπὶ τὸν λαὸν πάντα* (Jos. B. VI, 5, 3.). Haec procella iam aliquantulum compescitur ne paena in Judaeos irruat neve in gentes: illi enim terra, hae mari significantur. A quibus cum disiungantur arbores, ad Christianos necessario referendae esse videntur. Quod factum invenimus etiam c. IX. v. 4: *καὶ ἐρρέθη αὐταῖς ἵνα μὴ ἀδικήσουσιν τὸν χόρτον τῆς γῆς οὐδὲ πᾶν χλωρὸν οὐδὲ πᾶν δένδρον εἰ μὴ τοὺς ἀνθρώπους οἵτινες οὐκ ἔχουσιν τὴν σφραγίδα τοῦ θεοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.* Obsignati sunt Christiani (VII, 3 sq.); signaculo igitur carent et Judaei et gentiles. Ubi Gagnaeus: *Sunt qui per faenum terrae: incipientes, per viride: proficientes, per arborem: perfectiores Christianos intelligunt; mihi simplicius faenum et omne viride significare videtur eos qui virorem et vivacitatem fidei habent, arbores autem eos qui spe elati bonorum operum fructum faciunt.* Quasi alii fidem haberent, alii bona opera facerent. Imo etiam arbores virent et segetes fructum ferunt. Est vero *χόρτος* seges quae cum modo pullulavit et humilis etiam est vocatur *χόρτος χλωρός* (VIII, 7.) sive *χλωρόν* (IX, 4.) qui est graminum quae recens germinaverunt color herbidus. Haud comparatur vero hic vitae humanae brevitas cum graminibus celeriter marcescentibus quemadmodum homines perire dicuntur sicuti *χλόη* ψ. XC, 5. vel *χόρτος* ψ. CIII, 15. Isa. LI, 12. XL, 6. 7. unde Jac. I, 10. 11. cf.

Isa. XXXVII, 27. sed laeta seges vati imago est rerum feliciter florescentium ut Job. V, 25. de pio dictum est: γνώσῃ δὲ ὅτι πολὺ τὸ σπέρμα σου, τὰ δὲ τέκνα σου ἔσται ὥσπερ τὸ παμβότανον τοῦ ἀγροῦ et ψ. LXXII, 16. de copia civium: ἐξανθήσουσιν ἐκ πόλεως ὡσεὶ χόρτος τῆς γῆς. Nec tamen prorsus probandus Bossuetus qui ad VIII, 7. notat: l'herbe c'est le peuple, principalement la jeunesse où consiste l'espérance de la nation. Joannes enim — ut factum esse videmus apud Mt. XIII, 26: ἐβλάστησεν ὁ χόρτος et apud Marc. IV, 28: πρῶτον χόρτον, εἶτα στάχυν κτλ. cf. Mt. XIII, 38. — eadem similitudine ad significanda regni divini incrementa utitur. Viride igitur vel segetes virides sunt Christiani incipientes, segetes simpliciter ita dicti Christiani proficientes — quod illi quos Gagnaeus citat perperam commutaverunt. Arbores vero, cum gramina non arborescant, non possunt, id quod iisdem tamen placuit, Christiani perfectiores esse qui ex incipientibus et proficientibus nascuntur, sed aliud quoddam genus Christianorum significant cui singulare aliquod donum munusque divinitus datum est. Saepius vero in s. scripturis homines arboribus comparantur e. g. Jud. IX, 8 sq. ψ. XXXVII, 35. XCII, 13—15. Isa. I, 30. LVI, 3. LXI, 3. Marc. VIII, 24. porro fructuum maxime respectu habito ψ. I. Lu. III, 9. VI, 43, 44. Judae 12. Praeterea homines sic appellantur quorum quasi sub tegmine et umbra minoribus sit refugium a sole et tempestatibus periculorum: ita Amorrhaei Am. II, 9. Unde de regibus: (ψ. XXIX, 5. Jarchi). ϑρ. IV, 20. Ezech. XVII, 23. 24. Dan. IV, 7 sq. (cf. Isa. XXXII, 2.) De regnis Ezech. XXXI. Lu. XXI, 29. de regno caelorum Mt. XIII, 32. Lu. XIII, 19. Respicias quae supra p. 18 de Israele oliva et fico dicta sunt. Item praecipue ad Judaeos relatum est quod legitur Mt. III, 10. VII, 17 sq. XII, 33. Confer Achmetis ὀνειροκρ. c. 165. (ubi ut loco nostro etiam ventus in arbores invehens): εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι ἐπνευσεν ἄνεμος καθολικὸς ἢ τοπικὸς, ἔσται φόβος παρὰ βασιλέως· εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι ἔκλασε δένδρα, ἀπὸ θυμοῦ βασιλέως ἀπολοῦνται μεγιστᾶνες ἀναλόγως τῶν δένδρων. cf. c. 151. Artemidor. II, 25. Iis vero locis Joanneis de quibus locuti sumus nescimus quid arbores aliud significare possint quam praesides quosdam ecclesiarum atque earum quidem qui ex Judaeis congregatae fuerant.

Ascendit angelus ab oriente; est enim ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς

ὅ πρώϊνος XXII, 16. Idem est angelus sigilli divini custos. *Σφραγὶς* praedicatum *τοῦ λόγου* est apud Philonem ex cuius scriptis longe plures locos colligere licet quam quos citavit Grossmannus quaest. Phil. II. p. 47. Cf. חותמו של הקב״ה אמת *sigillum dei est veritas.* Dukes Rabbin. Blumenlese 1844. p. 160. *Σφραγίζειν* sicut חתם Dan. IX, 24. Obsignantur sancti h. e. confirmatur eos filios dei salvandos esse. Notatu dignissimi sunt versus quidam psalmorum qui Salomoni tribuuntur (Fabric. cod. pseudep. V. T.). XV, 8: *τὸ σημεῖον τοῦ θεοῦ ἐπὶ δικαίους εἰς σωτηρίαν, λιμὸς καὶ ῥομφαία καὶ θάνατος μακρὰν ἀπὸ δικαίων.* XIII (qui psalmus inscribitur *παράκλησις τῶν δικαίων*), 2. 3: *ὁ βραχίων κυρίου ἔσωσεν ἡμᾶς ἀπὸ ῥομφαίας διαπορευομένης, ἀπὸ λιμοῦ καὶ θανάτου ἁμαρτωλῶν. Θηρία ἐπέδραμον αὐτοῖς πονηρά· ἐν τοῖς ὀδοῦσιν αὐτῶν ἔτιλλον σάρκας αὐτῶν καὶ ἐν ταῖς μύλαις αὐτῶν ἔθλων ὀστᾶ αὐτῶν καὶ ἐκ τούτων ἁπάντων ἐῤῥύσατο ἡμᾶς κύριος.* Respicias ad equites, praesertim VI, 8. Ad angelos v. 1. Oecumenius: *ταῦτά τισιν ὑπὸ Ῥωμαίων πάλαι τοῖς Ἰουδαίοις γεγενῆσθαι ἐξείληπται.* Aretas *γῆν* Judaeam esse ait et ad angelorum plagam bellum Judaeorum cum Romanis gestum a Josepho descriptum affert; ad obsignationem: *ἄχρις οὗ σφραγισθῶσιν οἱ τοῦ διασωθῆναι ἄξιοι τῶν Ἰουδαίων* et mox: *τοῦτο δὲ εἰ καὶ μερικῶς πάλαι γεγένηται ἐπὶ* [Oecum.] *τῶν τῷ Χριστῷ πεπιστευκότων οἱ τῆς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων οὐ μετέσχον Ἰουδαίων πανωλεθρίας χρηματισμῷ θείῳ τῆς Ἰερουσαλὴμ ἐκτοπισθέντες τοῦ μὴ μετασχεῖν τὰ αὐτὰ τοῖς ἀσεβέσιν· οὓς* [sc. *τοὺς πεπιστευκότας*] *εἰς πολλὰς μυριάδας κατὰ τὸν μέγαν Ἰάκωβον συντελεῖν* [sc. *φησιν ὁ Λουκᾶς* act XXI, 20.] *τῷ μακαρίῳ Παύλῳ τὸ πλῆθος αὐτῶν ἐμφανίζοντα.* Item ad v. [illegible] — 8: *πολλοὶ γὰρ ἦσαν καὶ ἀριθμὸν ὑπερβάλλοντες οἱ Χριστῷ πιστεύσαντες ἐκ τῶν Ἰουδαίων. καὶ μάρτυρες οἱ Παύλῳ τῷ θείῳ ἐν Ἰερουσαλὴμ γενομένῳ λέγοντες· θεωρεῖς ἀδελφὲ πόσαι μυριάδες εἰσὶ τῶν πεπιστευκότων Ἰουδαίων; τούτους δὲ μὴ μετέχειν τῆς ὑπὸ Ῥωμαίων πανωλεθρίας ὁ χρηματίζων τῷ εὐαγγελιστῇ φησιν.* Siquidem igitur anno 58 Christianorum multae myriades in Palaestina fuerunt, haud incredibile est paucis annis post cum ex Judaea discederent fuisse quattuordecim myriades et quattuor milia secundum computationem Joannis. (Refert etiam liber Juchasin ducenta milia Judaeorum ante Jerusalemi destructionem Christianos factos esse.) Cum tamen Joannes ex singulis tribubus nec

plus nec minus duodenis milibus numeret, perspicue cernitur numerum hunc esse symbolicum ac significare non neglexisse deum quemquam tribuum. Praeterea vates non in angustiore tantum aetatis suae gyro versatur sed ad profectum perfectionemque ecclesiae indicandum transgressus magno illo numero significat, ex illis tunc salvatis Judaeis quasi semine progenitum iri Christo ingentem populi Judaici copiam. Christianorum trans Jordanem demigrationem hoc capitulo narrari bene cognovit Alcasar (468) quem secutus est Grotius. Christianos censet ille cum bellum fugerent, etiam fugisse mala eius, famem ac pestem. Leviusculum est quod ait angelum ex orientali parte apparuisse quia ibi urbs Pella sita esset (ib.). Wetstenus: *Judaeorum defectio et adventus Cestii cum exercitu in hoc ipsum festi tempus incidit. vid. in Matt. XXIII,* 39. *Tunc instabat poena Judaeorum et liberatio piorum Luc. XXI.* 28. *qui divinitus moniti Judaea excesserunt. vid. in Matth. XXIV.* 16. Idem p. 890: *Christiani in tutela dei et per prophetas monendi ut mature tempestati se subducant.* Item Herderus de Pella nihil diserte afferens: Das Zeugniss Gottes und des Lammes an ihren Stirnen tragend nahmen sie eingedenk der Worte Jesu am Aufruhr Judaeas nicht Theil und also auch nicht an seinen Strafen. Hier geschieht die stille, aber zahlreiche Aussonderung des wahren Volks Gottes wie dort vor der letzten Plage Aegyptens. Dass in den letzten Jahren des verfallenden Staats das Christenthum in Judaea sehr zugenommen wissen wir und Christus scheint anzudeuten dass auch deshalb der Sturz verziehen müsse bis die völlige Anzeichnung geschehen sei. Iam vero quod ad v. 9. sq. attinet, idem paullo post ait: deshalb wird auch nach den Worten Christi: „es muss das Evangelium zuvor in der ganzen Welt gepredigt werden“, der Blick des Sehers erweitert, die kleine Schaar der Erretteten bringt ihm eine grössere vors Gesicht aus allerlei Volk und Geschlecht und Nationen und Sprachen, alle wie jene der Trübsal entronnen, alle wie jene mit Palmen in den Händen, ein himmlisches Laubhüttenfest feiernd. Item Eichhornus v. 9. *christianos ex ethnicis collectos* indicari ait, antea *Christianos a Judaeis progressos.* Heinrichsio poeta permiscere videtur Christianos qui Pellam confugerant et omnes undique Judaeos pios Jovae cultores utpote tandem aliquando Jesum Christum amplexuros. θλῖψις ad omnes omnino pios Jovae cultores cuiuscunque tem-

poris pertinet. *Sin voce ἔρχεσθαι indicatum velis eos recens mortuos caelumque ingressos esse, intelligendi erunt ii qui sub initium belli Judaici ubique locorum trucidati erant: illa enim θλῖψις si fides habenda est Josepho, profecto si qua alia iure meritoque vocanda erat ἡ θλῖψις μεγάλη.* — Verum res ita se habere videtur. Ex innumera multitudine cognoscitur semen Abrahami Gen. XIII, 16. XV, 5. Nu. XXIII, 10. Hebr. XI, 12. Numerati illi ex duodecim tribubus erant filii Israelis. Et ipsi vero sunt filii Abrahami, itaque in multitudine illa simul comprehenduntur: Christiani enim ex Judaeis facti iam cum Christianis e gentilitate factis et ipsis ex Judaea egressis se consociaverunt quorum omnium communis pater est Abraham. Ro. IV, 11. sq. Una vero celebrant festum tabernaculorum quod Vitringa perspexit ex palmarum ramis, ex osanna h. e. ἡ σωτηρία τῷ θεῷ v. 10; porro σκηνῶσαι v. 15 ob scenopegias, item verbis πηγαὶ ὑδάτων respici ad morem ex quo ultimo festi die sollennis fiebat aquae libatio. Notes festum tabernaculorum celebrandum fuisse *in colligendo proventu terrae* et *ut discant posteri quod deus in tabernaculis habitare fecerit filios Israel cum educeret eos e terra Aegypti* (Lev. XXIII, 39. sq.): eductio enim illa populi sancti erat messis quaedam a deo facta. Iam iterum Israelem ex Aegypto i. e. Judaea et Judaismo (XI, 8) eduxerat messem faciens terrae (XIV, 15. 16.). Gaudii igitur signum spatulas palmarum gestabant (Lev. XXIII, 40) et iubilantes obviam eunt Christo in regnum suum venienti ut Jo. XII, 12. 13. ubi itidem palmae et osanna. Ἡ σωτηρία τῷ θεῷ ut ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ Mt. XXI, 9. Neque omittendum est quod festo tabernaculorum septuaginta sacrificia pro septuaginta gentibus offerebantur secundum Midrash Rabbath fol. 225. Iam ex omnibus populis revera redemptos videmus permultos. Porro festo tabernaculorum secundum Qaraeos creatio quoque mundi celebratur. En hic καινὴ κτίσις. Ἡ θλῖψις ἡ μεγάλη unde Christiani qui et e Judaeis et e gentibus in Judaea crediderant devenerunt est certa quaedam quare bene Tertull. scorp. XII: *qui veniunt ex illa pressura magna.* Est sc. ea de qua Mt. XXIV, 21. cf. Marc. XIII, 19 sermo fit quam Joannes explicavit de angustiis Judaeae usque ad fugam Christianorum. Post has signa caelestia v. 29. cf. Marc. XIII, 24 evenerunt ut legimus VI, 12 sq. et dum ea Judaeis accidunt, fugiunt Christiani.

(Nam *μετὰ τοῦτο* VII, 1 non temporum, sed visionum consecutionem attinet). Dan. XII, 1: *erit tempus pressurae quale non fuit ex quo populi esse coeperunt usque ad illud tempus. Et tempore illo salvabitur populus tuus, quicunque inventus fuerit scriptus in libro.* Joel. III, 4. 5: *sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem antequam veniat dies domini magnus et horribilis. Et eveniet ut omnis qui invocaverit nomen domini salvus sit; quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio sicut dixit dominus et inter effugientes erit quem dominus vocaverit.* Albati sunt et stant coram domino quia sacerdotes sunt omnes (Vitringa). Serviunt vero deo die noctuque h. e. (Alcasar p. 731 ad XIV, 11) rebus secundis et adversis. Cf. Isa. XXI, 11. 12. Unde intellegitur de ecclesia militante disseri, non de triumphante. Nox demta XXI, 25 demum. Deus vero *σκηνώσει ἐπ᾽ αὐτούς* — quod ad שכינה quae populum in deserto custodivit et ad tabernacula festi quod celebratur respicit cf. Isa. IV, 6. ψ. V, 12. Deus igitur ipse erit continuo eorum tabernaculum. Psalmi Salom. VII. v. 1: *μὴ ἀποσκηνώσῃς ἀφ᾽ ἡμῶν ὁ θεός.* v. 5: *ἐν τῷ κατασκηνοῦν τὸ ὄνομά σου ἐν μέσῳ ἡμῶν ἐλεηθησόμεθα.* Nec deficiet eos quicquam, v. 16 wo die Bezeichnung des Elendes, dem die Erlösten entronnen sind, von den Hauptäusserungen des elenden Zustandes in der eigentlichen Wüste entnommen werden (Hengstenb.). Cf. Isa. XLVIII, 21. XLIX, 10. Non amplius fame et siti cruciabuntur, nam agnus pascit eos et ducit ad fontes aquarum. Mt. V, 6: *μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται.* Aretas: *ὕδωρ δὲ τὴν ἄφθονον χύσιν τοῦ πνεύματος περὶ οὗ καὶ εἴρηται ὑπὸ τοῦ κυρίου ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ ποταμοὶ ῥεύσουσιν ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ὕδατος ζῶντος* — quod apud eundem Joannem XII, 37 sq. item in tabernaculorum festo, cuius ultimo die aqua hauriebatur ex fonte Siloa, a Jesu dici memineris. De verbis: *οὐδ᾽ οὐ μὴ πέσῃ ἐπ᾽ αὐτοὺς ὁ ἥλιος οὐδὲ πᾶν καῦμα* — Oecumenius: *οὐ γὰρ ὑπὸ πειρασμῶν ἔτι τῶν διὰ τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ καύσωνος σημαινομένων ὀδυνηθήσονται* (perperam addit: *τοῦ καιροῦ τῶν ἀγώνων παρῳχηκότος*). Diversa *καύματα* significat vates quorum unum ille *καύσων* ventus fervens et torrefaciens (ψ. XI, 6. Isa. XLIX, 10). Haud scio an aestum significaverit quo lex conscientiam anxiam excruciat. Expertos vero solis ardoris eos esse eam ob causam dixisse vi-

detur quia prophetiae tristes ac torquentes impium non attinent Christianos. Videtur vero hac quoque in re convenire cum narratione quadam quam de festo tabernaculorum Judaei conservaverunt. Legitur enim in tractatu עבודה זרה f. 2. 3. deum tempore messiano (לעתיד לבוא) librum legis in sinum sumpturum omnesque homines advocaturum esse ut mercedem quisque suam accipiat. Gentibus vero undique concurrentibus dicturum eum: extat praeceptum leve (sine impensis enim posse effici), tabernaculum est nomen eius; agitedum obsequimini! *Actutum unusquisque properanter abit facitque tabernaculum in tecto domus suae et sanctus benedictus denigrat eos ardore qualis est in solstitio Junii et quisquis pedem supplodit atque exit.* מיד כל אחד נוטל והולך ועושה סוכה בראש גגו והקב״ה מקדיר עליהם חמה בתקופה תמוז וכל אחד ואחד מבעט בסוכתו ויוצא. Item in precibus ad hoc festum in synagoga destinatis mentione eiusdem divini mandati facta pergitur umbracula facturos esse gentiles. *Et fervor (solis) ardet super eos et inflammantur et pedes supplodunt. Sanctus effundit in eos fervorem (irae) et deiicit eos in gehennam sine misericordia ad gradum infimum cum perturbatione.* וחמה קדחה עליהם ולוהטו וברגליהם יבעטו קדוש ישפוך עליהם חימה ויפילם בגהינם בלא רחומה במדרגה התחתונה במהומה. Imo vero, ait apostolus, *οὐ μὴ πέσῃ ἐπ᾽ αὐτοὺς ὁ ἥλιος οὐδὲ πᾶν καῦμα*, deus enim ipse est eorum umbraculum.

Magna igitur ac divina arte vates post formidolosissimas iustitiae punientis tempestates depinxit dei erga suos amorem suavissimum ut perlectis capitibus sexto et septimo cum Thoma de Celano dicas: Rex tremendae maiestatis Qui salvandos salvas gratis — Salva me fons pietatis.

Progrediamur. *Καὶ ὅταν ἤνοιξεν τὴν σφραγίδα τὴν ἑβδόμην ἐγένετο σιγὴ ἐν τῷ οὐρανῷ ὡς ἡμιώριον.* Silentium mire Ambros. de pace Augusti explicat quam Nero persecutione in ecclesiam concitata abruperit. Alcasar de silentio attentionis ut act. XIII, 6. XIX, 33. XXI, 40 (491), postea de patientia (Tob. XI, 14. Lat.) Christianorum primitivorum cum hi inde a c. IV. sub caeli imagine dicti sint. *Pene incredibilem tolerantiam quam fideles habuerant in severissima persecutione adversus semet ipsos a Judaeis excitata* per quadraginta annos de quibus Paulus 2 Co. IV, 17: *τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν κτλ.*

(493 sq.) Sed agitur hic de re inter exodum Christianorum et tubarum initium interiecta. Quamobrem nec probandus Züllius qui Exod. XIV, 14 affert, nam h. l. Israel novus iam transiit mare et tabernaculorum festum celebravit. Wetstenus: ***Cum iam omnia ad defectionem Judaeorum spectarent, brevis quaedam pausa secuta est interventu Agrippae et pontificum*** Jos. B. II, 15, 2. 5. XVI, 5. XVII, 1. At, praeterquam quod rerum ordo huic contradicit, silentium non in terra sed in caelo factum esse narratur. Harenbergus p. 270: Dieses trifft in die Zeit des Titus Vespasianus und dessen zwojährige Regierung worunter alles ruhig und stille war. Veruntamen agitur hic de tempore longe priore. Optime autem addit idem p. 271: Wenn im Tempel geräuchert wurde und zugleich alle Menschen beteten, war alles stille. Relegat ad Maimon. Hilcoth Tmidim umusaphim III, 3. et Deyling. obs. sacr. 44. P. III. §. 9. Tum pergit: Dies ist zugleich eine Anzeige des freyen Gottesdiensts und Gebets der hebräischen Christen — quod si de extorribus explices recte se habet. Simul cum Hengstenbergo de silentio ante iudicium dei Hab. II, 20. Soph. I, 7. Zach. II, 17. cogitandum videtur a quo non admodum distat prior Alcasari (cuius similis est Riberae, Viegae) interpretatio de silentio attentionis. Septem archangelis septem tubae distribuuntur quibus priusquam canant angelus ad id praefectus (cf. Tob. XII, 2) ecclesiae preces tanquam suffitum (V, 8. ψ. CXLI, 2. Tob. XII, 12. Philo ad Exod. XXV, 29.) deo offert. Angelus ille est Christus. Hebr. XIII, 15: *δι᾽ αὐτοῦ οὖν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως διαπαντὸς τῷ θεῷ τοῦτ᾽ ἔστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.**) ***Deus delectatus assidua Christianorum pietate non ultra cohibere voluit iram suam adversus Ju-***

---

*) *Καρπὸς χειλέων* ex Isa. LVII, 19: נוב שפתים. Idem significat ניב (quod loco illo in קרי) ψ. XL, 7. ubi Gumpach Alttest. Stud. p. 219. 220. pro אזנים restituit אז ניב. Vocabulum rarum et quodammodo indefinite positum perplexit lectores. Iam O′ post אז, quod vocabulo *δὲ* vertunt, legisse videntur גיב quod explicarunt *σῶμα* collato fortasse גף Exod. XXI, 3. 4. (cf. rabbin. גוף) sive גוה Job. XX, 25 ubi item habent *σῶμα*. Alii vero ex duobus illis vocabulis conflaverunt אזנים quod iam in textis extat. At כרת ניב O′ *κατηρτίσω* idem fere est quod ברא ניב loco Isaiano. Versus vero 7 et 8 ita sibi respondent:

daeos quorum tanta in Christianos crudelitas fuerat ait Grotius ad v. 4. Harenbergus p. 271: Jenes Bild des räuchernden Engels ist eine Schilderung des vorhandenen Untergangs (dicamus: exitii imminentis) des jüdischen Ceremonialdiensts im Tempel zu Jerusalem. Die Gebete der Heiligen waren würdiger als die Räuchspecereyen und brachten der jüdischen Republik mehr Strafen von Gott zu Wege als das priesterliche Räucherpulver abwenden konnte. Precabantur autem ex mandato Jesu Christi: *Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in caelo etiam in terra.* Neque hoc fieri potuit nec venire regnum eius nisi everso prius regno Judaeorum: hoc destinatum erat in caelis, iam vero in terra efficitur. Angelus idem qui preces deo obtulerat (Rinck apokal. Forsch. p. 40: *ein Zeichen, dass die Gerichte von demselben gütigen Gott, der Gebete erhört, kommen*) carbones sumit et deiicit: *iram dei effudit in Judaeam,* dicit Grotius v. T. *Ita enim γῇ sumitur in hac parte apocalypseos. Sic ignis in Hierosolyma effunditur Ezech. X,* 2. Sic ignis irae paenaeque divinae Lev. X, 2. Nu. XVI, 35. 2 rg. I, 10. 12. 14. Job. I, 16. 2 Petri III, 7. 10. 12. Hebr. X, 27. al. Lu. XVII, 29. 30: *ᾗ δὲ ἡμέρᾳ ἐξῆλθεν Λὼτ ἀπὸ Σοδόμων ἔβρεξεν πῦρ καὶ θεῖον ἀπ' οὐρανοῦ καὶ ἀπώλεσεν ἅπαντας. κατὰ τὰ αὐτὰ ἔσται ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται.* Jerusalem enim nova Sodoma XI, 8. unde Christiani ad Loti modum effugerunt; iam deiicitur ignis in urbem perdendam. Atque ita efficitur quod Zebedaidae alieno loco et tempore poposcerant. Cf. Artemid. onirocr. II, 8. Alcasar qui rerum nexum non perspexit angelo per prosopopoeiam censuit significari christianam caritatem; aureum turibulum *significare potest caritatis latitudinem quae orationes adeo efficaces pro hostibus profusas optime capit.* Cum vero primum sit pro inimicis orare *quid opportunius quam ut alterum sit eosdem igne religionis et caritatis incendere conari.*

זבח ומנחה לא חפצת
אז ניב כרית לי
עולה וחטאה לא שאלת
אז אמרתי הנה באתי במגלת ספר כתוב עלי:

Uti membrum primum et tertium artissime cohaerent, ita secundum et quartum quod utrumque vocabulo אז incipit; lex in corde, laus in labiis (cf. v. 10), *ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ.* Mt. XII, 34. Lu. VI, 45.

Cf. Lu. XII, 49: *πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν.* (508). Porro secundum eundem *φωναὶ βρονταὶ ἀστραπαὶ σεισμὸς* significant *admirabilem primaevae ecclesiae praedicationem cum sanctimoniae splendore et verbi efficacitate coniunctam et magnam vitae mutationem in eorum animabus qui caelesti illi praedicationi se subiugabant* (ib.). Grotius: *Sic fulmina et tonitrua in minarum sensu etiam supra habuimus IV, 5. Ad ἀστραπὰς recte referas visas in caelo concurrere acies et arma rutilantia ut Tacitus loquitur, gladium igneum ut Josephus et quod subito igne colluxit templum. Ad βροντὰς et φωνὰς vocem in templo auditam μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, ad terrae motum quod porta aenea sponte patuit.* Jos. B. VI, 31. Tac. hist. V. Harenbergus p. 272. sonos ad instrumentum illud מגריפה dictum refert. Cf. Ugolini t. XXXII. p. 1124. Nos in eo praecipue subsistimus quod Aretas ait: *ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ Σινᾶ ὄρους τὰ φόβητρα ταῦτα προοδοποίει τὴν τοῦ θεοῦ ἐμφάνειαν.* Ita h. l. ubi deus ad iudicium exurgit adversus impium populum veteris illius foederis et ad confirmandum foedus novum cum Israele novo. Henoch. LIX, 2. 3: *Domicilia terrae mihi apparuerunt et sonus tonitru sicut ad pacem et benedictionem aut ad maledictionem servit secundum dictum domini spirituum. Et postea ostensa sunt mihi omnia secreta luminum et fulgurum sicut ad benedictionem et satietatem fulgurant.* Memineris fulmini comparari Christi reditum Mt. XXIV, 27. Lu. XVII, 24. Plagae quae antegressae erant, fuerant tanquam caeli discessus tantum, iam irruunt fulgura ac tempestas ipsa cuius strepitu terminatur silentium illud brevissimum.

Septem tubae secundum Alcasarem: *gravissima supplicia quibus deus suam severitatem ostendit adversus Judaicum populum rebellem sub primitivae ecclesiae tempore; in ipso videlicet primo Christianae ecclesiae saeculo* (499). Secundum Herderum accuratius die ausgezeichnetsten Vorfälle des unglücklichen jüdischen Krieges. Tubae quarum clangor fragosus maximam attentionem movet (Isa. LIII, 1) pronunciant sollennia (Nu. X, 10. ψ. LXXXI, 4. XCVIII, 6. CL, 3. ps. Salom. XI, 1.); tempus propitiationis (Lev. XXIII, 24); annum iubilaeum (Lev. XXXV, 9. Isa. LXI, 1 sq.); inaugurandum templum (2 paral. V, 12. 13. cf. XXIX, 26. 27. Ezr. III, 10. Neh. XII, 35) sc. ecclesiae post destructam synagogam; novum foedus (Exod. XIX, 16. 19.); praesentiam regis (Nu. XXIII, 21. 2 rg. XI, 14. Aretas:

ἑπτὰ σάλπιγγες ὡς βασιλέως ἐφισταμένου) Christi; congregationem electorum (Isa. XXVII, 13. Mt. XXIV, 31. Mrc. XIII, 27); diem iudicii (Joel II, 1. Soph. I, 16) et pugnae (Soph. I, 16. Jer. IV, 19. XLII, 14. Ez. VII, 14.). Septem vero tubicinia, ut Alcasar vidit (599), destructionem Jerichuntis in mentem revocant (Jos. VI.).

Exoritur tubae clangor: cecinit primus. *Καὶ ἐγένετο χάλαζα καὶ πῦρ μεμιγμένα ἐν αἵματι καὶ ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν καὶ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων κατεκάη καὶ πᾶς χόρτος χλωρὸς κατεκάη.* Cf. Exod. IX, 24. Mariana censet hac tuba haeresin aliquam notari posse qua decor ecclesiae periit, ut Ebionitarum; aut vitium aliquod quod primis temporibus fideles invasit ut ambitionem avaritiam; aut persecutiones Neronis Domitiani Diocletiani. Alcasar primam tubam famem esse eam quae tempore belli cum Romanis inter Judaeos saeviit et a Josepho descripta est. *Quasi diceret famem adeo fuisse ingentem ut in Judaea ignis grando atque sanguis depluisse videretur* (512). Grando h. l. ad famem refertur quia cibaria Aegyptiis olim abstulit (610). Tertia pars: *quamvis huiusmodi pluvia fuerit toti Judaeae communis, detrimentum tamen inde subsecutum non ad universam regionem sed ad tertiam saltem ipsius partem redundavit* (513). Wetstenius: *Simul rebellio Hierosolymis coeperat l a p i d i b u s in homines iactis et i g n e aedificiis illata* [locos ex Josepho laudat in quibus bellum igni comparatur], *simul totam Judaeam pervasit tanquam ab irato deo fulmine afflatam atque tactam.* Formula τὸ τρίτον omnino Judaeos significari evincere studet. De arboribus et gramine ad. l. ait: *per arbores intelligo urbes munitas, per gramen vero pagos et villas et agros ut VII,* 1. 3; secus tamen p. 890: *arbores combustae campi et villae et loca Judaeae non munita quae primum seditionis mala senserunt.* Grotius grandine dura ut XI, 19. XVIII, 21. dici ratus est animorum obdurationem, igni sanguineo iracundiam sanguinariam *quae duo ita eo tempore in Judaeis apparuere ut nunquam in ullo populo magis,* quo fumo inflammata fuerit facile pars tertia in Judaea habitantium. Verba καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων a textis aliena censet, relicua vero ita explicat ut quod maxime viride i. e. probum esse debebat, id quoque inflammatum sit, quo significatos ducit sacerdotes qui modestia et pacis studio anteire debebant ceteros. Cocceius

procellas significari ait quibus agitata est respublica Judaeorum nondum soluta pace quam habebant cum Romanis; grandine notari incommoda *πάνδημα* propter quae tutum non fuit in publico agere, igni consumptionem multorum, sanguine caedes. Arbores antistites; omne gramen viride combustum: species pietatis in Judaeis extincta. Harenbergus p. 272. miserias Judaicas sub Tiberio hic invenisse sibi videtur. Posteriora fata enarrat Herderus: Wer verstehts nicht im jüdischen Kriege? Womit fing dieser an als mit Schlägereien Aufruhr Ermordung Feuer und Blut? Sobald von Florus der Markt geplündert, das Blutbad unter den Edlen erfolgt, die Bogen am Tempel zerbrochen waren und keine Versöhnung half, womit brach der Krieg an als mit dem Blutbad am Holzfeste, mit Einäscherung der Paläste Agrippa, des Hohepriesters, der Kanzlei, der Burg Antonia; worauf die Metzelei der Juden überall in Cäsarea, Alexandrien, ganz Syrien, Skythopolis u. f. folgte? Es hagelte überall auf sie Feuer und Blut; man kanns nicht eigentlicher sagen. Quae tamen omnia facta sunt inde ab Artemisio anni 66 (Jos. B. II, 15, 4), quare non quadrant ad hanc tubam cum secunda demum ut videbimus medio anno 64 canatur. — Videtur vero nobis imaginum sententia hunc in modum explicanda esse. *Dedit iis pro imbre grandinem* ψ. CV, 32. Imber est effusio spiritus sancti, evangelii praedicatio, vitae aeternae communicatio Joel. II, 28. Isa. LV, 10. 11. Zach. X, 1. ψ. LXXII, 6. Cf. supra p. 45. verba Aretae. Grando igitur significat conversionem horum bonorum in virtutes funestas, ut fecundae nubis in nimbum grandineum quo destruuntur arbores segetesque. Philo de providentia Auch. p. 18: *grandinis super germen et terram virentem* [ut χόρτος χλωρός l. nostro] *decidentis impetus quae corruptio est exitiosa.* Job. XXVIII, 22. 23: *num promptuaria grandinis vidisti? quam reservo in tempus pressurae ad diem pugnae bellique.* Henoch. LX, 6: *τὸ πνεῦμα τῆς χαλάζης ἄγγελος ἀγαθός ἐστιν* quod si conferas cum Oecumenii verbis (ad apoc. XVI, 21): *τὴν χάλαζαν ἅτε οὐρανόθεν κατερχομένην, τὴν θεήλατον ὀργὴν ἄνωθεν ἐρχομένην νενοήκαμεν* — liquet grandinem esse effectum quendam irae divinae ideoque cum iusta sit ac bonis consiliis serviat dei indignatio, sine dubio grandinis spiritus angelus bonus est. Ignis vero est ille ipse quem ex altari desumptum angelus terram versus deiecerat v. 5. Grando vero et ignis quanquam uterque iram

divinam exequitur, differunt tamen ut cernitur ex loco quodam libri דעת חכמה fol. 61: יש יצר הרע של זריזות לטמא בעבירה על כן הם נהרות של אש ויש יצר הרע דעצלות שגורם האדם להתעצל ממעשים טובים על כן נהר. ברד נגד מה שנתקרר האדם מהמצות *Est concupiscentia mala excitationum ad inquinandum se transgressione; ideo flumina ignis. Et est concupiscentia mala inertiae qua offirmat se homo ut iners sit a bonis operibus; ideo flumen. Grando propterea quod refrigescit homo a praeceptis.* Diversae enim pro diversis peccatis infliguntur paenae: igne punitur excandescentia violandi praeceptum, at contra neglegentiae frigus grandine gelata. — *Ἐγένετο χάλαζα καὶ πῦρ μεμιγμένα* nihil aliud more aramaeo significare videtur quam quod nostrates dicunt: *es wurden Hagel und Feuer gemischt.* Nec tamen inter sese haec duo mixta esse narrantur, sed iis immiscetur sanguis. Hoc enim significat *μεμιγμένα ἐν αἵματι*, ut ψ. CII, 10: שקוי בבכי מסכתי *potum meum in fletu meo miscui* h. e. in potum meum destillarunt lacrimae. Sanguis vero hic est sanguis Christi qui coniicitur caelitus in terram h. e. Judaeos ut id quod voluerunt iis eveniat secundum terribile illud dictum: *τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ᾽ ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν!* Mt. XXVII, 25. cf. XXIII, 35. Iam frigidus animus quo messiam exceperunt, grandinis ictum effugere non potuit et cum eo usque dei voluntatem transcesserint ut vel necarent illum divinitus iis missum, ignis merito irruit. Dediti sunt in profani sui cordis desideria et animus eorum obduruit. Subsenserunt igitur aliquid Alcasar et Grotius cum de fame et obduratione loquerentur. Pars tertia hic et VIII, 8. 11. 12. IX, 15. 18. XII, 4. ad proportionem progressionemque quandam miseriarum relata est; supra VI, 8. quarta pars, in phialis infra totum. Cf. Sibyll. III, 544. *Κατεκάη* non tantum ad ignem respicit, verum etiam ad grandinem. *Ἐνίοτε γὰρ καὶ κάειν λέγεται καὶ θερμαίνειν τὸ ψυχρόν.* Aristot. Meteor. 4, 5. Praeter Judaeos et ipsi Christiani quidem hac plaga afficiuntur; nam arbores ecclesiarum praesides esse, *χόρτον χλωρὸν* vero fideles incipientes supra ostendimus. Ii enim qui tempore messis quando Christiani ex Judaea egredientes a Judaeis separati sunt — cf. Marc. IV, 29. et apoc. XIV, 14 — nondum maturi facti erant ac fundati in fide Jesu Christi, simul cum Judaeis a deo irato reiecti sunt scilicet qui in rebus divinis semivivi

semimortui essent (cf. III, 15. 16.) animumque superstitioso Judaeorum cultui deditum iam penitus duraverunt. Cum supra VII, 3 venti iussi essent ne arbores laederent usque dum servi dei obsignarentur, hoc vero loco calamitas illa (licet sub alia imagine describatur) tertiam arborum partem destruat, aperte cernitur tubam primam post Christianorum obsignationem cani.

Καὶ ὁ δεύτερος ἄγγελος ἐσάλπισεν καὶ ὡς ὄρος μέγα πυρὶ καιόμενον ἐβλήθη εἰς τὴν θάλασσαν καὶ ἐγένετο τὸ τρίτον τῆς θαλάσσης αἷμα καὶ ἀπέθανεν τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ τὰ ἔχοντα ψυχὰς καὶ τὸ τρίτον τῶν πλοίων διεφθάρησαν. Mariana: *Insignem haeresiarcham notari puto ut fuit Nicolaus unus e septem diaconis auctor Nicolaitarum aut Nestorius* cet. In mari i. e. ecclesia et ipsum periisse et multos quos decepit fideles h. e. pisces. Alcasar secundam hanc tubam de bello Titi et Vespasiani intellegit, montium enim in mare deiectionibus figurari maximas reipublicae perturbationes; mare vero esse gentium. Cocceius v. 8. affert politiae Judaicae per seditiosos, latrones, Romanos destructionem. Porro *ἐγένετο τὸ τρίτον τῆς θαλάσσης αἷμα*: bella gentium domestica. V. 9. mors creaturarum in mari: relapsi ad gentilismum vel qui hunc cum christianismo conferruminarent. *Τὸ τρίτον τῶν πλοίων διεφθάρησαν*: multae ecclesiae (quae tanquam arca Noachi in medio mari) particulares sunt disturbatae nisi quis etiam haec ad synagogas Judaeorum in gentibus pertinere praeferat. Grotius per montem intellegit arcem Antoniam et per hanc milites in eo collocatos qui effusi in populum Jerusalemitanum, maris nomine illum quidem vocatum, magnam partem aut caederent aut vulnerarent ut accedente turris collapsu viginti milia (XXX milia sec. Euseb.) interirent. Addendum censet pecudum ad sacra paratorum ingentem numerum. Porro sicut populus mare, ita res mobiles navigia vocata esse sub quibus intellegenda vasa templi a militibus direpta. Wetstenus contra cladem Judaeorum Caesareensium intellegit. Jos. A. XX, 8, 9. B. II, 14, 4. 18, 1. Harenbergus p. 273: Dies Bild ist eine Anzeige, dass das den Jüden angedrohete Uebel unter dem Caligula nicht die Jüden, sondern die römischen Heyden selbst getroffen habe. Seine ungeheuren Grausamkeiten sind von dem Svetonius beschrieben. Herderus: Der Krieg taumelte sich darauf ans Meer und an die Seeufer; es ist abermal die strengste

Wahrheit; cogitat nempe de cladibus Judaeorum iuxta Jopen et Tarichaeas. Jos. B. II, 18, 10. III, 9, 2—4. c. 10. (ubi revera ἦν δὲ ἰδεῖν κεκραμένην μὴ αἵματι, πεπληρωμένην δὲ νεκρῶν τὴν λίμνην ἅπασαν). At ne latissime pervagemur tenenda est interpretatio allegorica ac secundum eas quidem quantum fieri potest explicationes quas iam probatas invenimus. Quare quod ad montem in mare coniectum attinet, censemus montem ut fere supra esse communitatem quandam Judaeorum una viventium et demersione in mare significari perditos eos esse a gentibus. Ad imaginem universam respicias ψ. XLVI, 3: οὐ φοβηθησόμεθα ἐν τῷ ταράσσεσθαι τὴν γῆν καὶ μετατίθεσθαι ὄρη ἐν καρδίαις θαλασσῶν. Vulgata secundum *O'* correcta: transferentur montes in cor maris. Cf. Mt. XXI, 21. Marc. XI, 23. ubi mons fortasse generatim Judaismus. Ardet vero mons igne h. e. inter Judaeos illos iam accensum esse ignem spiritus sancti necdum tamen omnes eo esse conflagratos. Lu. III, 16: ἐγὼ μὲν ὕδατι βαπτίζω — βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. XII, 49. 50. πῦρ et βάπτισμα sibi respondent. Memineris primi festi pentecostes. (Jer. 4, 25 הר משחית de Babylone dictum nihil ad argumentum nostrum efficit praeterquam quod probet, montem ignitum quoque in scriptura sacra V. T. non esse rem prorsus inauditam. Cf. Henoch XVIII, 13.) Illa vero omnia optime ad persecutionem sub Nerone Romae mense Julio anni 64 factam referri possunt: etenim ingens multitudo Judaeorum et simul cum iis Christiani (gentiles enim differentiam non curabant) trucidata est. Aretas: τὸ δὲ [τὸ] τρίτον τῆς θαλάσσης αἷμα γενέσθαι, τῶν διὰ μαρτυρίου τελειώσεως ἐρυθρωσάντων τὴν περίγειον κτίσιν. Alcasar κτίσματα ad navigantium animas rettulit; *sermo de navigantibus in h. l. multo magis cum praecipuo sensu consonat quam si de piscibus agatur. Pisces enim sunt veluti filii aquae. Quod si per mare gentiles denotantur, non cohaeret Judaeos in piscibus denotari. Si tamen in navigantibus intelligentur Judaei, sensus optime quadrat. Navigantes enim sunt terrae filii qui per mare divagantur.* Terram autem esse Judaismum: *Quare navigantes sunt idoneum Judaeorum symbolum qui per imperii provincias erant dispersi: atqui Judaea ex imperii provinciis erat una.* Porro: *ubi per navigantes denotari Judaeos admittamus, facile mox cernitur naves hic esse ipsorum Judaeorum urbes et oppida.* Navem civitatem significare notum esse ex Ez.

XXVII. et poetis. Quod bene illum exposuisse iudico, modo dixerim, naves esse non tam urbes, neque enim hae circumvagantur, quam maiores quasdam Judaeorum congregationes. (Respicias ad Cocceium). Ait igitur praeter persecutionem Romae factam et multos Judaeos coniunctim et hic illic singulos interfectos esse a gentilibus. De magna Judaeorum per totum orbem dispersa multitudine cf. Philo. II, 523 sq. 577 sq. 582. *Κτίσματα* de hominibus Jac. I, 18.; comprehenduntur etiam I Tim. IV, 4. Diserte appellantur *τὰ ἔχοντα ψυχάς* quia sermo fit de hominibus *ψυχικοῖς*, non *πνευματικοῖς*. Si *κτίσματα* de piscibus explicares atque ad gentiles referres (pisces sunt homines Hab. II, 14—17. Ez. XXIX, 3. 4. XLVII, 9. Mt. IV, 18. 19. XIII, 47. Lu. V, 10. cf. Jo. XXI.) eosque prae sanguine occisorum Judaeorum mortuos esse diceres (ut pisces Exod. VII, 18. 21. ψ. CV, 29.), occurrendum est tubas omnino non de gentilium damno agere nec proprie Christianorum. Quamobrem licet ad argumentum melius significandum montem fuisse ignitum ut modo vidimus attulerit, non potuit tamen sub navibus perditis ecclesiolas christianas indicare (quanquam aliis locis navis est ecclesia cf. Mt. VIII, 23 sq. Marc. IV, 36 sq. Lu. VIII, 22 sq. epist. Clem. ad Jac. init. homil. c. 14. Aretas: *πλοῖα τὰς τῶν ἁγίων ψυχὰς τροπικῶς ὀνομάζει*). Ceterum de tertia parte bene Alcasar: *caedem non adeo fuisse communem ut non evaserint multi.*

Prodit angelus buccinator tertius. Alcasar tertiam plagam cum priores duae fames ac bellum sint, postulante consequentiae ordine, pestem esse mire opinatur, de qua Jos. B. VII, 17. Euseb. h. e. II, 6. III, 5. Pestes alias contagione, alias et multo horribiliores astrorum constitutione exoriri. Stellae casum refert ad *eius influxum sive influentiam. Alioqui quomodo in tertiam partem fluminum ac fontium?* Aquas omnes quidem infectas esse sed tertiam tantum bibentium partem damnum inde cepisse. *ἀστὴρ μέγας* apud Homerum sidus caniculae ardore nocens. *πίπτειν ἐπὶ* usurpari de peste irruente. *Quos pestilentiae lues corripiebat exitiali furore percitos miserandum in modum interire ac si re ipsa pestilens venenum ebibissent.* Grotius cum stellis cadentibus saepe significentur doctores a vero devii, notatum hic censet Aegyptium illum impostorem a suis prophetam habitum. Hunc ex urbe exclusum minora oppida et vicos invasisse qui sic flumina et fontes quemodo magna civitas mare.

Tertia vero parte aquarum absinthium facta intellegit magnam turbam quae eum secuta et facinora eius imitata est qui dicti sunt sicarii. Et sicut perire solent qui aquas infectas bibunt, ita per homines illa factione contactos interiisse multos., Wetstenus de internecione Judaeorum Scythopolitana cogitat. Harenbergus p. 273. famem et caedes sub Claudio factas affert. Herderus: Nun ward der Krieg und die Erbitterung immer grösser... Wer kennt nicht das Bild des unseligen Eifergeistes der alles so bitter machte? Eleasar hiess der Stern der vom Himmel fiel und wie eine Fackel brannte, der Sohn des Hohepriesters, ein hitziger kühner Jüngling. — Pedetentim textum enodemus. *Καὶ ὁ τρίτος ἄγγελος ἐσάλπισεν καὶ ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀστὴρ μέγας καιόμενος ὡς λαμπὰς καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὸ τρίτον τῶν ποταμῶν καὶ ἐπὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων. καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἀστέρος λέγεται ὁ ἄψινθος. καὶ ἐγένετο τὸ τρίτον τῶν ὑδάτων εἰς ἄψινθον καὶ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπέθανον ἐκ τῶν ὑδάτων ὅτι ἐπικράνθησαν.* Stella Judaeum aliquem significat. v. ad VI, 13. Stella magna Judaeum aliqua ratione nobilem. Cum urat lampadis instar, est propheta: Sir. XLVIII, 1. cf. Zach. XII, 6. ubi item licet alia quadam ratione deus principes Judae se facturum esse ait *ὡς λαμπάδα πυρός*. Ceciderat stella illa magna de caelo ubi sola vita ac veritas quare prophetia eius est pseudoprophetia (cf. Judae 13. de haereticis: *ἀστέρες πλανῆται*. Cf. 2 Tim. III, 14: *πονηροὶ ἄνθρωποι καὶ γόητες ... πλανῶντες καὶ πλανώμενοι*) quod etiam patet ex sequentibus. Aquae enim quae vitam ut supra significant et veram doctrinam scatent in fontibus sacrae scripturae unde a doctoribus tanquam per flumina derivantur in populum. *Πίπτειν ἐπί* ut VII, 16. vim perniciosam significat; pseudopropheta igitur ille depravat doctrinam, corrumpit sacram scripturam, seducit doctores. Absinthium quod est amarissimum cum veneno saepius coniungitur. Cf. Deut. XXIX, 77. (Cod. Alex. cf. Hebr. XII, 15 *ἐνοχλῇ* pro *ἐν χολῇ*, ac pro פרה legit aliquis מרה unde *πικρίας* post *ῥίζα* irrepsit). Jer. IX, 14. XXIII, 15. *θρ.* III, 15. 19. prov. V, 4. Maxime cf. Am. V, 7: *convertentes in absinthium ius* cum contra *sicut aqua fluere* debebat v. 24. Item VI, 12: *convertentes in venenum ius et fructum iustitiae in absinthium.* Nec tamen vates scripsit *ἀψίνθιον* quod etiam in linguam Hebraeam transsumptum est; legitur ut condimentum vini אפסינתין

Jerusb. Avoda Zara ed. Edzard. p. 81. cf. p. 404. Sed cum de nomine proprio agatur ponit *Ἄψινθος* quod vocabulum est nomen urbis et fluvii in terra Thracorum. De aquarum commutatione non apte Herderus Exod. XV, 23 contulit: ibi enim de aqua amara agitur quae dulcis facta est, hic de dulci quae amarescit. Ad quam rem haec animadvertenda esse videntur. V. 8. 9. psalmi XCV: אל תקשו לבבכם כמריבה כיום מסה במדבר אשר נסוני אבותיכם בחנוני גם ראו פעלי ita verterunt Alexandrini: *μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ κατὰ τὴν ἡμέραν τοῦ πικρασμοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ. οὗ ἐπείρασάν με οἱ πατέρες ὑμῶν· ἐδοκίμασαν καὶ εἶδον τὰ ἔργα μου.* Patet significari narrationem Exodi XVII ubi locus quidam quo Israelitae ob aquae penuriam murmuraverunt contra Mosem deumque, vocatur Massah et Meribah h. e. *πειρασμὸς* (cf. *ψ.* v. 9.) *καὶ λοιδόρησις* ut verterunt *O'*. *Παραπικραίνειν* enim praeterquam quod pro הכעיס ponitur in significatu provocandi ad iram (Hesych. *παραπικραίνων· παροργίζων*), respondet etiam verbis סרר, מרר, מרה nominique מרי quibus omnibus sententia inest rebellionis. Cf. locos in Trommii concord. et Fulleri miscell. sacra III, 10. (Similis est notio *amaricandi* quod apud Plinium, saepius vero in sequiore latinitate occurrit. Videas quomodo Augustinus ludat in verbo illo: confess. XIII, 17.) Eodem quod psalmus ille respicit exemplo allato auctor ad Hebraeos c. III. ab inconstantia et inobedientia dehortatur Christianos. Ubi *παρεπίκραναν* v. 16 dicitur de refragantibus. Usu autem vocabulum *παραπικρασμοῦ* nomen proprium fere factum esse videtur ut Suidas ex Theodoreto dicere possit: *παραπικρασμὸς ἡ ἐν ἐρήμῳ πολλάκις γενομένη ἀντιλογία τῶν Ἰσραηλιτῶν.* Significatur igitur illo nomine contentio tanquam civilis quaedam theocratiae; Judaeorum contra deum prophetamque eius magnum contumacia. Cum amaritudo sit interior quaedam aquae dulcis depravatio, non commode sub aquae inamarescentis imagine bellum cum exteris hominibus adumbraretur; optime vero ad significandas civiles conturbationes quadrat. Iam si picturam illam cum rebus sub finem reipublicae Judaicae in Judaea gestis comparamus, rem omnino acu tetigisse videtur Herderus cum stellam Eleazarum esse dixit. Erat hic filius Ananiae pontificis ac praetor tunc templi; iuvenis audacissimus. Is persuasit iis quorum erat in cultu fungi ne cuius alienigenae munus aut hostiam ac-

ciperent unde dissidium ortum est: a zelotarum enim quos se ipsi vocaverunt partibus stabant sacerdotes et Levitae et magna pars populi qui contra potentes, pontifices, Pharisaeorum nobiles rebellabant. Jos. B. II, 17. Respicias ad Mt. XII, 25. Marc. III, 24. 25. *Hinc exordium cepit seditio contra Romanos* ut Flavius ibi exponit qui idem in prooemio de patria sua ait n. 4: ὅτι γάρ αὐτὴν στάσις οἰκεία καθεῖλε καὶ τὰς Ῥωμαίων χεῖρας ἀκούσας καὶ τὸ πῦρ ἐπὶ τὸν ἅγιον ναὸν εἵλκυσαν οἱ Ἰουδαίων τύραννοι μάρτυς αὐτὸς ὁ πορθήσας Τίτος Καῖσαρ κτλ. Et paullo post: Τὰ γοῦν πάντων ἀπ᾽ αἰῶνος ἀτυχήματα πρὸς τὰ Ἰουδαίων ἡττᾶσθαί μοι δοκεῖ κατὰ σύγκρισιν καὶ τούτων αἴτιος οὐδεὶς ἀλλόφυλος. De prophetiarum vero depravatione per zelotas facta sepositus nobis locus est. Ad potum amarum cf. Jer. VIII, 14: συνάχθητε καὶ εἰσέλθωμεν εἰς τὰς πόλεις τὰς ὀχυρὰς καὶ ἀπορριφῶμεν ἐκεῖ ὅτι ὁ θεὸς ἀπέρριψεν ἡμᾶς καὶ ἐπότισεν ἡμᾶς ὕδωρ χολῆς. Denique si Joannes dicere voluisset, Judaeos tantum multos ex aquarum amararum potu mortuos esse, scripsisset: πολλοὶ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς ἀπέθανον cf. v. 13. XIII, 8. 14. Ait vero πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων quod vocabulum cum IX, 4 adiecta speciei indicatione (οἵτινες οὐκ ἔχουσι τὴν σφραγίδα τοῦ θεοῦ κτλ.) ad Judaeos ethnicosque restringatur, hoc loco quo terminis nullis additis ponitur, ad Christianos quoque quosdam quos Judaeorum illorum expectationes fefellerunt referendum esse videtur. Ex ethnicis vero etiam et proselyti multi deducti sunt et omnino magnus numerus in bello a zelotis contra Romanos excitato periit.

Καὶ ὁ τέταρτος ἄγγελος ἐσάλπισεν καὶ ἐπλήγη τὸ τρίτον τοῦ ἡλίου καὶ τὸ τρίτον τῆς σελήνης καὶ τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων ἵνα σκοτισθῇ τὸ τρίτον αὐτῶν καὶ ἡ ἡμέρα μὴ φάνῃ τὸ τρίτον αὐτῆς καὶ ἡ νὺξ ὁμοίως. Aretas confert Mt. XXIV, 29. Alcasar: plaga quarta ignorantia Judaeorum qua etiamsi non exiguam haberent Christi et apostolorum notitiam, carebant tamen intellegentia divinitatis (solis) et humanitatis (lunae) Christi et caeci erant ut non viderent lucem in praedicatione evangelii per apostolos facta. Grotius: *sicut navigantibus terrae discedere dicuntur, ita calamitate pressis occidere sol luna sidera . . . Significantur hic Galilaeae et aliorum partium oppida capta a Vespasiano cum plurimorum Judaeorum interitu.* Cf. Jos. B. I. IV. *Quia tertia ferme Judaeae pars tunc in hanc calamitatem incidit, ideo sidera*

dicuntur defecisse tertia sui parte. Et porro: *in parte tertia Judaeae et opificia cessarunt et itinera quorum illa de die, haec de nocte magis in illis locis peragi solebant.* Bossuetus de solis defectu inter alia ait: c'est l'obscurcissement des prophéties par la malice des Juifs. Temporibus enim Hadriani R. Aqibam in usum Bar Chochebae scripturae sententiam detorsisse; composuisse tunc Judaeos Mishnam cet. Wetstenus: *mera erat ἀναρχία, magistratus contemnebantur, tota Judaea in seditionem conspirabat non secus ac si multi furiosi noctu cum gladiis discurrerent. Imprimis Hierosolymis.* Confert Jos. B. II, 17. Harenbergus p. 274. maxime Neronis imperium et ipsis Judaeis perniciosum significari censet. Herderus: Von ihm (dicit autem Eleazarum) zog sich die Unordnung und Finsterniss zum Firmament hinauf. Die Obrigkeiten Jerusalems die bisher noch gelinde Wege gegangen waren, theilten sich, ihr Glanz ward verfinstert. Die Zeloten herrschten, die Verständigen seufzten und vermochten nichts. Nos contra haud procul ex aliqua parte distamus a Bossueto. Solem enim et lunam et stellas caligine percussas esse inde explicamus quod prophetiae lugubres evenerunt et lex neglegi coepit. De praedictionibus separatim dicemus, lex vero ab omnibus servari ex illo tempore non potuit ex quo zelotae adversarios a templo prohibuerunt. Jos. B. II, 17, 6. Sed nondum finis prophetiae legisque reapse venerat quare tertia solum pars eorum obscurata fuisse perhibetur. Idem fere dicere videatur quod adiungitur: diem ex tertia parte non luxisse et noctem similiter h. e. diem noctemque triente obscuriores factos esse quam cum sole lunaque prout solent illuminati sunt. (Conferas ex opposito Isa. XXX, 26: ואור החמה יהיה שבעתים quod explicatur statim sequentibus כאור שבעת הימים) Dies enim est dicio solis, nox dicio lunae. Itaque non amplius iis licebat vivere sub pleno faustae prophetiae lumine nec vita legalis impedimentis destituta erat.

Ad v. 13. Alcasar explicat: aquilam, sapientiae symbolum, per caelum h. e. ecclesiam christianam volare et habitantibus in terra, Judaeis, mala nunciare. Apte Grotius illud Vae comparat quod Jesus ille per septem annos continuos vociferatus est. Optime Herderus: der römische Adler flog jetzt durch Himmels Mitten und rief: „weh! weh! auf solche Dinge werden schrecklichere folgen"; er rief gleichsam schon seine Brüder zum Leichenfelde. Namque *ὅπου ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα ἐκεῖ συνα-*

χθήσονται οἱ ἀετοί. Mt. XXIV, 28. ex Job. XXXIX, 30. Porro Os. VIII, 1: *Ad palatum tuum tubam! Tanquam aquila super domum domini quoniam foedus meum laeserunt et contra legem meam praevaricati sunt!* Mt. XII, 4. cf. 19. *πετεινὰ* i. q. *πονηρός*. Marc. IV, 4. 15. i. q. *σατανᾶς*. Luc. VIII, 5. 12. i. q. *διάβολος*. Philo Arm. ad Gen. XV, 11: *fortassis igitur designat per volatum avium super sectiones monens inimicorum invasionem.* R. Abraham ben David ha Levi ad eundem locum (ס' האמונה הרמה part. II. עקר VI. p. 85. edit. Weil.): כמו שבא בכתוב: יעזבו יחדיו לעיט הרים. וקץ עליו העיט. ובזה רמז לו ע"ה שהמלכיות הרשעות הדומות לעופות הדורסים כל עוד שיקומו על זרעו, שחסידותו יגן עליהם לעדי עד. h. e. *ut est in scriptura: relinquuntur una avi rapaci montium et: aestatem agit in iis avis rapax* [Isa. XVIII, 6. secundum quem textui Weiliano medelam adhibui]. *Et in hoc significatur ei ut quotienscunque regna mala figurata avibus rapacibus surrexerint contra semen eius, gratiae eius praesidio illis futurae sint iugiter.* Aquila Babylonii Deut. XXVIII, 49. Nabuchodonosor Jer. XLVIII, 40. XLIX, 22. Ez. XVII, 3. Cum vero Babylon sit typus Romae (v. supra p. 7.) aquila ut revera ita in imagine quoque hacce imperii Romani signum est. IV. Ezr. XI sq. Cf. Sibyll. III, 611: *ἔλθῃ δ᾽ ἐξ Ἀσίης βασιλεὺς μέγας αἰετὸς αἴθων.* — *Μεσουράνημα* est spatium caelum inter et terram, itaque aer in quo regnum daemonum. Cf. ad Eph. II, 2. Avis igitur impura per diaboli dicionem pervolans excitat virtutes corruptrices.

HALIS SAXONUM TYPIS PLOETZIANIS.

Errata:

P. 1. l. 1. notae scribe: Christopolitano.

- 5. - 2.: *ἀρχιτέκτων*.

- 10. - 14.: locos.

- 21. - 10. a. i.: *ῥομφαίαν*.

- 24. - 14. 13. a. i.: mendas.

- 43. - 3.: quamquam.

Leviora quaedam quae maxime accentus graecos attinent, benevolus lector corrigat ipse.


3 2044 069 662 757



